This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

## Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

## About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

2° Arch
154
~~Arch. 154.~~
Marmora

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# MARMORA
# PISAURENSIA
## NOTIS
## ILLUSTRATA.



PISAURI. MDCCXXXVIII.

E TYPOGRAPHIA NICOLAI GAVELLI.
*SUPERIORUM PERMISSU.*

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

Digitized by Google

Quis leget hæc? min tu iſtud ais? nemo hercule. nemo?

Vel duo vel nemo; turpe & miſerabile! quare?

*Perſius Sat. I.*

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS, AC GENEROSISSIMIS
VIRIS
FRANCISCO M.Æ JO. ANT. F. BELLUTTIO
VEXILLIFERO
FRANCISCO SIM. F. BONAMINIO
JO. BAPTISTÆ ANDR. F. TEBALDIO
JO. JACOBO JOS. F. FATIO
PRIORIBUS
*S. P. Q. P.*

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

HANNIBAL CAM. EQ. D. STEPH. F. DE ABATIBUS OLIVERIUS.

P*ISAURUM*, *magni apud Veteres nominis multæque dignitatis Civitas, poſteriori ævo barbarorum primo incurſionibus, mox civilibus bellis fuit adeo afflictum, tantumque accepit in publicis ædificiis,*



Digitized by Google

*cæteriſque antiquis monumentis detrimentum, ut illorum nobis nihil fere præterquam triſte deſiderium reliquum fuerit. Tantam tamen æquo animo jacturam ferebamus, contenti paucis lapidibus, qui adhuc ætatem ferentes vetuſtæ amplitudinis teſtes erant locupletiſſimi. Verum quum iis quoque certiſſimum impenderet exitium, dolebant boni omnes nullam prorſus ſuperfuturam florentiſſimæ Patriæ memoriam. Horum ego partes ſuſcipiens obſecravi VOS, Illuſtriſſimi Viri, veſtrumque imploravi præſidium, ut tanto incommodo ſuccurreretis. Ipſi autem ſapientiæ veſtræ putantes eſſe, non ſedula modo adminiſtratione præſentem Reipublicæ conditionem augere, atque amplificare, verum etiam præteritum decus*

*con-*

Digitized by Google

*conſervare ; creatis ad id II Viris eruditiſſimis civibus Franciſco Maria Joſ. F. Brigio, & Raimundo Pet. Ant. F. Santinellio Comite Metulæ, utroque ex Vexilliferorum Ordine, juſſiſtis, ut tutiori, nobiliorique in loco* PISAURENSIA MARMORA *collocarentur. Quot vero quantiſque laudibus veſtram providentiam una voce omnes extulerint VOS ipſi audiſtis, quum in eam, in qua nunc exſtant, aulam comportarentur. Illud tamen deerat, poſtquam tantis plauſibus, tantaque omnium ordinum adprobatione gratiæ VOBIS actæ ſunt immortales, ut publicum quoque, & quod ſeris etiam nepotibus innoteſceret tantorum in Rempublicam meritorum teſtimonium daretur. Id autem ad neminem prius quam ad me pertine-*

*tinebat , qui præter commune cum cæteris civibus beneficium , ſingulari quoque , & præcipuo VOBIS eram devinctus ; quod nempe me auctore id conſilii cæpiſſe prætuliſtis ; neque vero opportunior occurrere poterat locus ad veſtra merita omnibus teſtificanda , quam ſi illas ipſas Inſcriptiones , quas jacentes , & prope intermortuas ad lucem vitamque revocaſtis , brevibus notis illuſtratas vobis conſecrarem . Excipite igitur ,* GENEROSISSIMI OPTIMATES *tenue hoc munus , ſummæ tamen obſervantiæ meæ argumentum ; quod ſi gratum ſtudium meum vobis fuiſſe cognovero , nullis profecto laboribus parcam , ut de* VOBIS , *Patriaque pergam benemereri .*

LE-

# LECTORI BENEVOLO.

SOLENT ii, qui vetuſtas Inſcriptiones ſuſcipiunt illuſtrandas, longam de illarum præſtantia & utilitate inſtituere orationem, qua illorum ſibi animos concilient, qui eruditas hujuſmodi commentationes veluti inane negotium contemnunt. Verum tamen ab uſitata conſuetudine recedendum mihi eſſe arbitror; hoc enim argumentum non modo a doctiſſimis Viris ſummo ingenio, exquiſitaque doctrina ita pertractatum eſt, ut nihil profecto novi afferri poſſe exiſtimem, ſed etiam inutile prorſus, & ſupervacaneum his temporibus videtur, quibus Antiquitatis ſtudia maximo reipublicæ literariæ bono adeo invaluerunt, ut nemo ferme ſit literis vel leviter inſtructus, qui ea ſummo in pretio non habeat, aviduſque non amplectatur. Hinc tot egregia monumenta, quæ in tenebris, ſituque antea jacebant, prodierunt; hinc ſua certatim quæque Urbs illuſtrare atque edere aggreſſa eſt. Verum in hac luce, qua tota pene Italia perfunditur, unum fere Piſaurum, neſcio quonam fato, ex tot doctiſſimis civibus neminem adhuc habuerat, qui præter nudam marmorum collectionem, neque illam ſatis accuratam, aliquid ad ea conſervanda, aut illuſtranda contulerit. Inde mihi, qui doctrina omnibus, charitate in patriam nemini concedo, mirum enatum deſiderium utrumque præſtandi. Primum itaque a Senatu magnis precibus obtinui ut II Viri crearentur ad Inſcriptiones tutiorem in locum comportandas; partim enim jacebant in porticu Palatii, partim aeris inclementiæ, & plebeculæ, impiorumque hominum injuriis erant in foro piſcario expoſitæ. Deinde quum illas II Viri in aula, in qua Prætor jus dicit, *Banchi* vulgo appellant, collocaſſent, cæpi

eas,

eas, nec non reliquas, quæ in privatorum domibus late. bant, deſcribere, novamque inſtituere collectionem, quam ope domeſticorum Mſſ. aliarumque collectionum ſuperioribus ſæculis factarum multo uberiorem reddidi; demum vero eas illuſtrare aggreſſus ſum, atque has qualeſcumque notas contexere. Quibus tandem confectis ad edenda MARMORA PISAVRENSIA me contuli, non ſolum ut patrias opes, vel neglectas adhuc vel ignoratas in exterorum oculis ponerem, verum etiam, ut optimi, ac ſapientiſſimi Principis FRIDERICI LANTII DE RUVERE Petrenſis Archiepiſcopi, & Senatus voluntati obtemperarem, qui pro ſingulari ea, qua in me ſunt humanitate, obſervationes has, qualeſcumque tandem ſint, publicas fieri cupientes, Typographum ad operam ſuſcipiendam propoſito præmio invitarunt. Non eram equidem neſcius qualia eſſe debeant, quæ in publicam lucem proferuntur, ne doctorum Virorum judicium reformident; verum multo ſatius eſt deſiderari a nonnullis prudentiam meam, quam diutius univerſam literariam remp. fraudari tot monumentis luce digniſſimis, quorum equidem pretium ex notis meis nec poteſt augeri nec minui; atque eas quidem idcirco in calce integras conjeci, ut ſi quis tempori parcens prætерire illas voluerit, poſſet non intermiſſa vetuſtorum lapidum lectione frui.

Expoſitis conſilii mei in hoc opere inſtituendo, edendoque rationibus, ejuſdem diſpoſitionem cognoſcas velim Lector Benevole. In Inſcriptionibus ordinandis, ut plurimum ſequutus ſum Gruterum; Spurias aut dubias aſteriſco ſignavi; peregrinas, illas nempe, quæ aliunde advectæ Piſauri nunc viſuntur, ſeorſim ſtatui; illud tamen peccaſſe me fateor quod inter Piſaurenſia marmora n. XCVIII. fragmentum Inſcriptionis reliqui, quod Româ huc ipſe advehendum curavi, nec

piget

piget erroris cauſſam indicare. Quum primum Piſaurenſia marmora illuſtranda ſuſcepiſſem, in duas eadem diſtribui claſſes, quarum prima integras Inſcriptiones continebat, mutilas altera, nulla habita civitatis, aut peregrinitatis ratione. Poſtea mutato conſilio Piſaurenſes lapides ab advenis ſejungere opportunum viſum fuit, ac fragmenta ſuo loco inſerere. In hac itaque ordinis perturbatione fragmentum hocce inter Piſaurenſes Inſcriptiones inconſulte collocavi. Illud item teſtatum hic volo, Inſcriptionem nempe CXXXVI. quæ olim Villa Gozzea Chelmontis, nunc in veſtibulo Paſſeriæ Domus ſervatur, Roma huc fortaſſe delatam; nemo profecto id tradidit: verum ipſa Inſcriptio ſuſpicari facit; ea ſic habet.

P . MARCIVS P . L

HILARVS

DEC. ESQVILINVS

Exiſtimabam *Eſquilinus* nomen ſervile fuiſſe P. Marcii ante libertatem. V. Not. CXXXVI. Verum ſecundis curis minus vera ea interpretatio viſa eſt. Servile enim P. Marcii nomen *Hilarus* fuit, adeo ut certum ſit DEC. ESQVILINVS *Decurio eſquilinus* officium fuiſſe liberti illius. Quale autem illud fuerit, haud facile eſt ſtatuere; tamen ne rem omnino intactam relinquamus, animadvertendum in titulis Columbarii Liviæ Aug. ab Antonio Franciſco Gorio Viro de re antiquaria optime merito vulgatis, occurrere officium *a regionibus Urbis*, *&* *Decurionis a Regionibus Urbis*. Inde coniicere poſſumus non ſolum Regionibus Urbis generatim atque univerſe, verum etiam cuique regioni ſingulatim ſuos libertos, eorum-

que Decuriones aſſignatos fuiſſe ; ac proinde P. Marcium decuriæ libertorum a regione eſquilina præfuiſſe.. Sed ad inſtitutum. Eas omnes Inſcriptiones, quæ adhuc ſuperſunt, ſumma cum diligentia ex ipſis lapidibus exſcripſi, reliquas, quæ perierant, collatis pluribus MSS. Codd. aut ſi editæ erant probatiſſimis editionibus quantum potui emendatiſſimas volui.. Variantes etiam lectiones, & quod ad Marmorum hiſtoriam pertineret, in notas contuli, in quibus obſcuriora loca in gratiam noſtrorum hominum conatus ſum illuſtrare.

Nequo vero is ego ſum, qui pleniorem collectionem fieri potuiſſe negem. Plures enim alii MSS. Codices Piſauri reperiuntur, quos evoluere (ea fuit in me poſſeſſorum comitas) nequaquam mihi conceſſum fuit. Ex illis profecto plurimæ aliæ peti poterant Inſcriptiones: multas enim non ſine magno animi dolore novimus ſtatim atque effoſſæ fuerint, vel in calcariam, vel in nova fundamenta detruſas; quarum quidem exemplar minime ab iis neglectum fuiſſe exiſtimandum eſt, qui Piſaurenſes res accuratiſſime, ut ajunt, ſcriptis conſignabant.

Appendicem ex meo Cimelio auctiorem quidem dare potuiſſem; hoc enim libro nondum ad umbilicum deducto, in agro quodam, primo a Piſauro lapide, Collem Albanum verſus, prope Eccleſiam, ac Suburbium S. Venerandæ, veterum Piſaurenſium Sacer Lucus fortuito detegi incæpit: quamobrem foſſoribus multis adhibitis eximias, & quantivis pretii, auroque contra cariores opes reperi; treſdecim nempe Inſcriptiones lingua, literiſque antiquiſſimis ac pene Pelaſgis inſculptas; ſtantes aras; maximam votorum, donariorumque tam ex argilla, quam ex metallo copiam; fictilia ſigna, ut ego quidem arbitror, Deorum; maximam item numiſmatum copiam ab ultimis uſque temporibus oblatorum, ex quibus Sa-

cri

Digitized by Google

cri Luci ætatem, everſionemque facile ſtatuere poſſumus. Verum quum nondum omnia inveſtigata ſint, contiguumque prædium perſcrutari quam primum in animo habeam, malui intacta omnia relinquere peculiari diſſertatiunculæ *de Luco Sacro Veterum Piſaurenſium*, qua pro meis viribus illuſtrare conobor illa pene ignota numina, quæ in Inſcriptionibus memorantur, omnes Luci ipſius partes, hiſtoriamque, ſigna, donaria, numiſmata, omnia denique, quæ in eo reperta fuerunt.

Supereſt nunc, ut earum MSS. Collectionum, quas ſæpius memoravi, ex quibus Inſcriptiones, quæ perierant, reſtitutæ ſunt, indiculum paullo accuratiorem contexam.

I. Ut ab antiquioribus exordium ſumam, non parum Lucis attulit libellus, quem *Memorie* &c. inſcripſit Hieronymus Arditius, Patricius Piſaurenſis, qui anno circiter 1580. floruit.

II. Quotquot ſua ætate Piſauri reperiebantur Inſcriptiones ſervavit nobis Sebaſtianus Maccius Piſauri primum, mox Patavii humaniorum literarum Profeſſor; ejus tamen fides ſuſpecta aliquando mihi eſt, ſeu quia decipere alios voluit, ut ab Acciis Piſaurenſibus genus ſuum ducere videretur, ſeu quia ab aliis, ſerione, an joco, haud ſcio, deceptus ipſe vere fuit.

III. Magno mihi adjumento fuit MSS. Collectio Inſcriptionum Piſaurenſium a Salvatore Salvatorio confecta anno 1628. cujus autographum habeo, quod ipſe Salvatorius Nob. Viro M. Antonio Gozzeo nuncupavit, marginalibus ejuſdem M. Antonii Annotationibus conſpicuum; idcirco Collectionem hanc, M. Antonii Gozzei collectionem ſæpius appellavi, quod illi ad manus fuerit, ab eoque cum ipſis lapidibus collata, & pluribus in locis emendata. De duobus his clariſſimis Civibus, Patriæque amantiſſimis fuſius agemus Deo volente in libello *de Viris Illuſtribus Piſaurenſibus*.

IV.

Digitized by Google

IV. Unam Piſaurenſem Inſcriptionem ſuppeditarunt mihi Schedæ Barberinæ ſeu pars Collectionis Donianæ MSS. quam mecum communicavit V. C. Pompejus Compagnonius Patricius Maceratenſis.

V. Non parum quoque commodi acceſſit ex Collectione, quam Dominicus de Abatibus Oliverius Propatruus meus concinnavit anno circiter 1669. Gratias hic providentiæ illius refero, quod duo vetuſta marmora domi collocavit, quibus ſtudiorum meorum initium acceptum fero.

Alias etiam minoris momenti Collectiones vidi, quas ſuo loco, ſi opus fuerit memorabimus. Hæc te neſcire nolebam, Lector Benevole, Vale.

MAR-

Digitized by Google



# MARMORA
## PISAURENSIA.

I.

IOVI. OPTIMO. MAXIMO
SACRVM
M. NAEVIVS. M. F. PAL
IVST. VERISSIMVS
AEDIL. CVRVL
PRAEFECTVS. FABRVM
PATRONVS. COLL. CENT
ET. DENDROPHOR
COLON. PISAVR
L. D. D. D
PVBLICE

Ex Gudio p. IX. n. 11.



Digitized by Google

II.

| |
|---|
| CERERI. SACRVM |

In Epiſtylio ex Vett. MSS.

III.

| | | |
|---|---|---|
| | LIBERO PATRI | |
| *patera* | SACRVM | *Urceolus* |
| | C. IVL. EVTICHVS | |

Ara quadrata apud Nobb. de Æmiliis in Colle Albano.

IV.

| |
|---|
| HERCVLI |
| AVG |
| CONSORTI |
| D N |
| AVRELIANI |
| INVICTI AVGVS |
| RES PVB PIS |
| CVRA AGENTE |
| C. IVLIO. PRISCIANO V. E |
| DVC CVR R P PIS ET FAN P M |

Baſis Statuæ ad D. Archangeli.

SIL-

V.

S I L V A N I
S I G N V M
C V M . B A S
P. P I S A V R
C O L. L I B
A C H I L L A S
P O S V I T

Apud Nobb. Com. de Oddedeis ex Vett. MSS.

VI.

F A N N I A · L · F
N A S V L E I
B O N A E D E A E
D A T

In Columella ex Vett. MSS.

VII.

FAVSTVS VERSENNI. P. SER
PRIAPVM. ET. TEMPLVM D. S. PECVL
F. C

In Porta Caſtri Farneti Piſauren. Diœc.

VAL-

Digitized by Google

VIII.

VALVAS. SIGNA. DEORVM. AVGV
Q· BADVSIVS· Q· L· DELPHICVS
VI. VIRI. ET. VI. VIRI. AVGVSTALES
DEDICATIONE EPVLVA

In Porticu Publici Palatii.

IX.

C. FIRMIDIVS. C. F. VESTIARIVS
P. BLERRA C. F. LANARIVS
C. CANINIVS RVFVS STRVCTOR
MAGISTRI VICI
PORTICVM SVA PECVNIA
REFECERVNT

X.

P. BLERRA. C. F. LANARIVS
C. CANINIVS RVFVS STRVCTOR
C. FIRMIDIVS. C. F. VESTIARIVS
MAGISTRI VICI
PORTICVM SVA PECVNIA
REFECERVNT

C. CA-

Digitized by Google

XI.

C. CANINIVS RVFVS STRVCTOR
C. FIRMIDIVS C. F. VESTIARIVS
P. BLERRA C. F. LANARIVS
MAGISTRI VICI
PORTICVM SVA PECVNIA
REFECERVNT

In vetuſti Ædificii ruinis omnes, ex Vett. MSS.

XII.

C. FLAMINIVS
SVA PECVNIA

In ſummitate Pontis ex Vett. MSS.

XIII.

A. TERENTIVS M. F.
VARRO LVCVL
PRO. PR. TERMINOS
RESTITVENDOS
EX S. C. COERAVIT
QVA P. LICINIVS
AP. CLAVDIVS
C. GRACCVS III VIR
A. D. A. I. STATVERVNT

Nuper reperta in Eremo Camaldulenſi *Monte Giovio* dicto.



Digitized by Google

* XIV.

SI HVMANO INGENIO PERPETVO
VIATORIBVS PARARI VINA POTVISSENT
NON AMOENVM QVEM CERNIS
AQVARVM FONTEM
C.LEPIDVS MAGNA.IMPENSA.ADDVXISSET.
POTA FELIX

Ad Valnculæ Fontem ex Vett. MSS.

XV.

ΜΕΝΕϹΘΕΥϹ
ΜΕΝΕϹΘΕΩϹ
ΑΦΡΟΔΙϹΙΕΥϹ
ΕΠΙΟΙΕΙ.

Olim in Hortis Ducalibus in pede Statuæ ex Vett. MSS.

XVI.

T
S. C

In pariete Cathedralis Eccleſiæ.

LV.

Digitized by Google

* XVII.

LVXVRIANTEM . ANIMO . POENVM
FERROQVE . RVENTEM
VRBIS . IN . EXCIDIVM . VIX . PVBER
AD . ARMA . VOCATIS
PATRIBVS . EDOCVI . CERTA
SVPERARIER . ARTE
POSSE . OLIM . INVICTAE . PER . NOS
CHARTAGINIS . ARCES
INSOLITVM . SVBIERE . IVGVM
VICTORIA . NOSTRA . EST
HANNO . ET . IBERVS . ATROX . CONIVNCTIQ.
ARMA . SYPHACIS
MAXIMA . CVNCTARVM . VICTORIA
VICTA . VOLVPTAS

Olim in Hortis Ducalibus ex Vett. MSS.

XVIII.

DIVAE
FAVSTINAE
AVGVSTAE
D . D

Baſis Statuæ in Banchi.

XIX.




In Porticu Publici Palatii.

XX.

IMP · CAES
M·IVLIO·PHILIPPo
PIO.FEL.AVG
PONT.MAX.TR·P.
COS.ET COS
DESIGN·Ⅱ·P·P·
PRO.COS.

PISAVR.PVBL.

Baſis Statuæ in Banchi.

XXI.

P. CORNELIO
LICINIO
VALERIANO
CAESARI
PISAVRENSES

Ex Grutero p. MLXXXV. 12.

VI-

Digitized by Google

XXII.

Lituus




Apex Aræ impoſitus.

Baſis Statuæ in Banchi.

## XXIII.

DEFENSORI PACIS
ET CONSERVATORI
IMPERII . ROMANI
D . N . CONSTANTIO
MAXIMO VICTORI
AC . TRIVMFATORI
SEMPER . AVG .
B . R . P . N .

CLXXXVII.

## XXIV.

FVNDATOR.....
ET . CONSERVAT..
IMPERII . ROM...
DD.NN.VALENTINIANO
ET.VALENTI.PRINCIP..
MAXIMIS . AC . TRI
VMFATORIB
AVGG.B.R.P.N
IMPP. .

Ambæ in eadem Columna olim ad Divi Franciſci de Paulla nunc ex dono PP. illius Cœnobii penes me ſervantur.

GV-

Digitized by Google

XXV.

GVSTA
A NOMINI
RVM

In Cænobio PP. S. Bartholi in Monte Accio literis prægrandibus.

XXVI.

IMP . CAES

Fragmentum tabulæ in Cathedrali Ecclesia literis itidem prægrandibus.

XXVII.




Car. Grandi Sculp.

In Porticu Publici Palatii.

ABE-

XXVIII.

ABEIENAE C. F.
BALBINAE
FLAMINICAE
PISAVRI. ET . ARIMINI
PATRONAE. MVNICIPI
PITINATIVM . PISAVRENSIVM
HVIC . ANNO QVINQVENNAT.
PETINI . APRI . MARITI . EIVS
PLEPS . VRBANA . PISAV
RENSIVM . OB . MERITA
EORVM . CVI .
IMP[illegible]
[illegible]
IVS . COMMVNE . LIBERO
RVM . CONCESSIT .
L . D . D . D .

Baſis Statuæ in Banchi.

XXIX.

| *Caput L. Accii* | *Caput T. Accii* |
|---|---|
| L. ACCIVS | T. ACCIVS |
| L. F. | L. F. |

In Ædibus Co: de Pardis ex Vett. MSS.

M. AC-

Digitized by Google

## XXX.*

M . ACCIO . † . F . PAL . PISAVR . PAT . ĪĪĪĪ F . M
EQ. AVGVR . SACERD . PONT . PRAEF . SACROR
PATRONO . MVNICIPI . N̄ . OB . MERIT
EIVS . ET . OB . RESTIT . IN . STLITIB
IVD . AGRVM . METAVR . BELLOR . IN
CENDIIS . AMISS . ET . CONSERVATA
VECTIGALIA
MVNICIPES . CAST . RIP . POSS . ET . INCOLAE
AD . AETERNITATEM . CONLATI
BENEFCII . D . D . D

In Ruinis Veteris Caſtri Ripenſis inventum penes ſe ſervari in Villa Montis S. Petri Durantinæ Diœc. teſtatur Sebaſtianus Maccius de Portu Piſaur. lib. I. cap. XV.

## XXXI.




Tabula Marmorea in *Banchi*.



Digitized by Google

XXXII.

ARRIAE · L · F · PLARIAE
VERAE · PRISCILLAE
FLAMINICAE
M' . ACILI . GLABRIONIS . COS

D · D
PVBLICE

Baſis Statuæ in *Banchi*.

XXXIII.

L . ARRIO . L . F . ....... ATILIO . SABINO . PA
TRONO . COLONIAE . L . ARRIO . P . F . ARRIANO
AVFIDI . TURBONIS . PRAETORIS . DESIGNATI
PATRONI . COLONIAE . FILIO

Ex Collectione Donii Claſs. V. n. 18.

C. AV-

Digitized by Google

XXXIV.

C . AVFIDIO . C . F . CAM
VERO . PONT . Q . II . VIR . Q . Q .
PLEBS . VRBANA . OB . MERIT . EIVS
EX . AERE CONLATO CVIVS DICATIONE
DEDIT . DECVRIONIBVS . SINGVL HS N XXXX
AVGVSTAL . HS . N . XX . PLEBEI . HS . N . XII . ADIECTO
PANE . ET . VINO . ITEM . OLEVM . IN . BALNEIS . L . D . D . D .

Tabula Marmorea in *Banchi*.

XXXV.

P . CORNELIO . P . F
SAB . CICATRICVLAE
PRIMIPIL . BIS . PRAEFECT .
EQVIT . PRAEF . CLAS
PRAEF . COHORTIVM
CIVIVM . ROMANOR
QVATVOR . IN . HISPAN
TRIB . MIL . II . VIRO . ET
II . VIR . QVINQ . PONT
D . D
PVBLIC

Olim apud Nobiles de Diplovatatiis, nunc in Urbe S. Leonis, quo ab Heredibus Octaviani Vulpellii Francifci Mariæ II. Ducis Conſiliarii aſportata fuit.

C . LV-

Digitized by Google

XXXVI.

C.LVXILIO.C.F.POMPT
SABINO EGNATIO
PROCVLO . C̄ . V̄ . CVR . RER .
PVBLICAR . PISAVR . ET FANEST .
LEG . LEG . X̄ . GEM . GORDIAN
IVR . REG . TRANSPAD . CVR .
VIAR . ET . PRAEF . ALIMENT .
CLODIAE . ET . COHERENT .
LEG . PROV . ACHAIAE . PRAET .
AEDILI . CERIALI . QVAEST .
PR . PR . PROV . CRETAE . CYR .
TRIB . LATIC . LEG . IIII . FLAV .
PATRONO COLONIARVM
PISAVR . ET . FANEST .

Baſis Statuæ in *Banchi* .

*Protome Viri togati*

XXXVII.

Q.MARTIO ACCIO REPEN
VICI MAGISTR

In Ædibus Co: de Pardis ex Vett. MSS.

C.MV.

XXXVIII.

C . MVTRIO . C . F . PAL
QVINTO . SEVERO
Q . II VIR . Q . ALIMENTOR
CVRATORI . KALENDAR
PECVNIAE . VALENTINI . N . HS . DC
PATRONO . VI . VIR . AVG . ET
COLLEG . FABR . CENTONAR . NAVICVLAR .
DECVRIONES . ET . PLEBS . VRBANA
EX DIVI NERVAE EPVLARVM
OB MERITA
L . D . D . D

Baſis Statuæ ad *Divi Auguſtini ex Vett.* MSS.

XXXIX.

M . NAEVIO
M . F . PAL . IVSTO
AEDIL . CVR
COLL . FABR . OB
MERITA
M . NAEVI . CERASI
PATRIS
L . D . D . D

Baſis Statuæ in *Banchi*.

XL.

M . NAEVIO . M . F . PAL
MAGNO . AVGVRI
COLLEG . FABR . PATRONO
OB . MERITA
NAEVI . CERASI . PATRIS
IN . QVORVM . HONORE . IDEM . CERASVS
HS X̄ . N̄ . ARKAE . INTVLIT . ET . IN
TVTELAM . STATVAE . HS . N̄ . ∞̄
CVIVS . DEDICATIONE . SPORTVLAS
DEDIT . L . D . D . D

*Baſis Statuæ ad D. Auguſtini ex Vett. MSS.*

XLI.

C . SENTIO . C . F . PAL
VALERIO . FAVSTINIANO
ĪĪ . VIRO . AVGVRI
VICANI . VICORVM . VII
COLLEG . FABR . ET . CENTONAR
EX . AERE . CONLATO . QVOD . IN
HONORE . ĪĪ . VIRATVS . INDVSTRIE
ADMINISTRATO . OMNIBVS . PLEBIS
DESIDERIIS . SATISFECIT.
L . D . D . D .

*Baſis Statuæ ad D. Auguſtini ex Vett. MSS. V. notat.*

TA-

Digitized by Google

XLII.

TADIAE.C.F.CLAVENNIAE BARBILLAE
PLEBS VRBAN . L . D . D . D .

Ad Divæ Claræ ex Fabrett. Inſcr. Dom. Cap. VI. n. 50. & Cap. X. n. 593.

XLIII.

C . TITIO . C . F . CAM. VALENTINO
AEDILI . Q . II VIR . QVI TESTAMEN
TO COLONIS COLONIAE IVL
FELIC . PISAVR . DECIES CENTENA
MILLIA NVM DEDIT ITAVT PER SING
ANNOS EX SESTERTIORVM CCCC
VSVRIS POPVLO EPVLVM DIE
NATALI TITI MAXIMI FILI EIVS
DIVIDERETVR ET EX SESTERTIORVM
DC VSVRIS QVINTO QVOQVE AN
NO MVNVS GLADIATORIVM EDERETVR
PLEB . VRBANA

Baſis Statuæ in *Banchi*.

C.VA-

XLIV.

C . VALIO
POLYCARPO
ORNAMENTA . DECVRIO
NATVS . INLVSTRATVS . A
SPLENDIDISSIMO . OR
DINE . ARIMIN . PATRON
VII . VICORVM . ITEM . COL
LEGIOR . FABR . CENT
DENDR . COLON . ARIM
ITEM . ORNAMENTA . DECVRIO
NATVS . INLVSTRATVS . A
SPLENDIDISSIMO . ORDINE . PI
SAVRENS . PATRONO . COLLEGI
ORVM . FABR . CENT . DENDR . NAVIC
ET . VICIMAG . COLON . PISAVR
PLEBS . PISAVR . OB . MERITA . CVIVS
DEDICAT . SPORTVLAS . DECVR . Ӿ . V
ITEMQ . COLLEGIIS . Ӿ . II . PLEBEI . Ӿ . I
DEDIT
L . D . D . D . P

Ex Manut. in Orthograph. pag. 659. & Grut. p. CCCCLXXXI. 9.

C. LAR-

XLV.

C . LARTIVS . M . AEBVTIO
PISAVR . MVNICIP . IVR . PATRON
. . . . . . . . . P R A E F . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
OB MERITA . . . . . . . . . . . . . . . . .

Olim Romæ in Ædibus Cæſiorum ex Vett. MSS.

XLVI.

RONIVS . TI . F . TI . N .
TR . MIL . II . VIR . AVG .

Muſæo Arditio optimis literis.

XLVII.

L . PETRONIVS . APTVS

In Ore Putei Veteris Cænobii PP. Servitarum in Monte Granario.

XLVIII.

VI VIR ET VI V

Ibidem iiſdem ferme literis.

XLVIX.

II VIR . . . . . . . . . . .
R . BA . . . . . . . . . .
ERE . . . . . . . . . . . .
ECVNIA SV . . . . . .

In pariete Domus cujuſdam Gradartenſis.

L. LIVS ▲ M ▲ F ▲ M ▲ N ▲

Literis palmaribus in *Banchi*.

LI. IVLEIVS ▲ C . . . .

In horreis Fronciorum literis item magnis.

LII. VELLIVS ▲ CN ▲ F ▲ CAM
SEXVIR DECVRIO

In Angulo exteriori Apothecæ Magiſtri Antonii Clementini.



Digitized by Google

LIII.

LLIO
OPVLO
DVOVIR
VR

In Pariete Domus Petri Mathei del Beno.

LIV.

SEVERINAE
HOSPITAE
SANCTISSI
MAE P. AELIV
S. TERTIVS 7
LEG. III CYR.

Cippus in Domo quadam Nobb. de Paullis in via Fundicorum.

T. AV.

Digitized by Google

LV.

T·AVRELIO·FLAVIANO·PP.LEG
IIII FLAVIAE . ITEM PRAEPOSITO
VMBR . PICEN . ET APVL . AVRELIVS
QVIETVS ET AVRELIVS AVDAX
PATRI DVLCISSIMO . ET CLAVDIA
QVIETA CONIVNX MARITO CVM
QVO ANNIS . XX . BENE VIXIT

In Eccleſia D. Auguſtini ex Gudio p. CXVI. 6. & Collectione Donii Claſs. V. 226.

LVI.

AVRELIO IVLIANO VETE
RANO AVEDIA MARCELLINA
CONIVGI BENEMERENTI
POSVIT

Urnula Marmorea penes me.

C.COR-

LVII.

C. CORNELIO C. F. VO
TAVRO TOLOSENSI
EQVO PVBLICO HA
BENTI VIXIT ANNOS
XXII

In Eccleſia Divi Franciſci in Sacello Conceptionis ex Vett. MSS.

LVIII.

M . FABIO . M . F . PAL
PRAEF . MIL . LEG . XIIII
COLON . PATR
ACCIA . M . F . MARITO . IN
COMPARABILI . ET
ACCIA . FABVLLA . PATRI
KARISSIMO . M . P

In pariete Eccleſiæ S. Stephani Caſtri Candelariæ Piſauri. Diæc



Digitized by Google

LIX.

D . M
M. PACCI M. F. CAM
VERONA SENECION
MIL . COH . VII PRAET
> MAXIMI VIX . AN . XXX
MILITAVIT AN . XIII.
M . VARIVS OPTATVS
AMICO OPTIMO

In *Banchi*.

LX.

Q . SEIENVS QVINCTIλλVS
Q . F . PVBLICλE VERONλE
MIL . COH . VII . PRAETOR
> FRVCTI VIXIT ANNOS XL
MILITAVIT λNNOS XV
EX TESTAMENTO FIERI IVSSIT
L . BAEBIVS CERTVS HERES POSIT
Q . SEIENVS EVPHEMVS LIBERT EIVS
P . λELIVS MVCIλNVS CVRλVIT
MIL . COH . I PR . > IVSTI
LOCVM EMPTVM
LATVM P . IIII LONGVM P . VIII

In *Banchi*.

C. TA-

Digitized by Google

LXI.

C . TADIO . C . L . IANVARIO
PISAVRENSI
VIXIT . ANN . XXXIIII
C . TADIVS . LVCANVS
Ͻ . LEG . VII . GE . F . LIB
OPTIME . DE . SE
MERITO

Tarracone ex Grutero p. DLXIII. 1.

LXII.

D . M
L . CALPE
NI . DIO
NYSI . VI
VIR . AVG
L . LARTI
VS . CALPE
NVS . CLE
MENS . ET
VEIANIA
IVSTA . BE
NEME
RENTI

Apud D. Advocatum Paſſeri.

L. ACV-

Digitized by Google

LXIII.

L. ACVTIO
ARTEMIDO
RI F. TRYPHONI
RHETORI
CECROPS AMPHIO
LIBERT
B.M.R.

Cippus prægrandis Villa Gavardina ad Arcus.

LXIV.

D . M
C. TETTIO
C. L. TESIAE AR
CHIATRO PE
RITISSIMO
ET OBSEQVIS
SVIS OMNIB
VS AMANTIS
SIMO CVRA
ET DOCVME
NTIS EVI...
NTIBV.....
..............
..............

Olim apud Nobb. de Prætis ex Vett. MSS.

CAL-

LXV.

CALPVRNIA C . F
MAXIMA MATER
DOLENS ET MERENS
FILIEIS FECIT SVEIS

Cippus in *Banchi*.

LXVI.

C . BASSVS T . F .
SIBI ET FILIIS
ET FAMILIAE

In Porticu Publici Palatii ex Vett. MSS.

LXVII.

D . M . AMPLIATAE
VIX . A . I . M . VII . D . V
EVARISTVS F . KARISS
FEC

Apud me.



Digitized by Google

LXVIII.

.....NOETO
ARENNIA PRIMA
ET ARENNIVS
CASTOR AVG . L
PARENTES

In ædibus Tumbeſiorum ex Vett. MSS.

LXIX.

*Genius faci inverſa incumbens.*

M . AVFIDIO FRONTONI
PRONEPOTI M . CORNELI
FRONTONIS ORATORIS
CONSVLIS MAGISTRI
IMPERATORVM LVCI
ET ANTONINI . NEPOTIS
AVFIDI VICTORINI
PRAEFECTI VRBI BIS CONSVLIS
FRONTO CONSVL
FILIO DVLCISSIMO

*Genius faci inverſa incumbens.*

*In latere Eques pedite dextro praeunte.* *In latere ſiniſtro Vir Rhedam agitans.*

Urna marmorea prægrandis in Subteraneo D. Decentii facie ad murum obverſa.

C.AV.

LXX.

C . AV.RE.LI.O
SP . F . AV.RE.LI.A . C . L .
CHA.BI.TI.O . MAT . F .
PO.SV.IT.

Reperta ad Arcus ex Vett. MSS.

LXXI.

D . M .
GAVELLIS IVS
TO ET AVGVRINo
IVSTVS . VIX . AN .
XVI . M . II . D . XVII
AVGVRINVS VI
XIT AN . XIII . M . V
D . XXIII . GAVELLI
VS IVSTVS ET VI
SINIA AVGVRIN.A
PARENTES FI
LIIS PIISSIMIS

Muſæo Arditio.

DIS

LXXII.

DIS . MAN .
COMICVS ET
AVRIOLA PARENTES
INFELICISSIMI
P . LICINIO SVCCESSO
V:A.XIII.M.I.D.XIX

Apud Nobb. de Æmiliis ex Vett. MSS.

LXXIII.

D M
PATRONIA NICE ET ALCIBIADES
ALCIBIADI FIL .
DVLCISSIMO ET DESIDERATISSIMO
CVIVS MORS DECEPIT PATRE SVVM (ſic)
QVI V . A . XX . M . VII . D . XXI
E T
IVCVNDAE MATRI EIVS CVM QVA
VIX . A . XV . ET
FELICLAE ALVMNAE SVAE
FECER
SIBI ET SVIS POST . EORVM

ex Appiano.

D.M

Digitized by Google

LXXIV.

D . M

PETRONII . ANTIGENIDIS

TV . PEDE . QVI . STRICTO . VADIS . PER . SENTA . VIATOR
SISTE . ROGO . TITVLVMQVE . MEVM . NE . SPREVERIS . ORO
BIS . QVINOS . ANNOS . MENSESQVE . DVOS . DVO . SOLES
IN . SVPEROS . FECI . TENERE . NVTRITVS . AMATVS
DOGMATA . PITHAGORAE . SENSI . STVDIVMQVE . SOPHORVM
ET . LIBROS . LEGI . LEGI . PIA . CARMINA . HOMERI
SIVE . QVOT . EVCLIDES . ABACO . PRAESCRIPTA . TVLISSET
DELICIAS . HABVI . PARITER . LVSVSQVE . PROCACES
HAEC . HILARVS . MIHI . CONTVLERAT . PATER . IPSE . PATRONVS
SI . NON . INFELIX . CONTRARIA . FATA . HABVISSEM
NVNC . VERO . INFERNAS . SEDES . ACHERONTIS . AD . VNDAS
TETRAQVE . TARTAREI . PER . SIDERA . TENDO . PROFVNDI
EFFVGI . TVMIDAM . VITAM . SPES . FORMA . VALETE
NIL . MIHI . VOBISCVM . EST . ALIOS . DELVDITE . QVAESO
HAEC . DOMVS . AETERNA . EST . HIC . SVM . SITVS . HIC . ERO . SEMPER

Apud Pandulphum Collenuccium ex Vetr. MSS.



Digitized by Google

LXXV.

D . M
L . RVTILI
RESTITVTI
VIX . AN . III
MENS XI . D . XXIII
L . RVTILIVS
EPITECTVS
ET LARTIDIA
RESTITVTA
PARENTES
ET SIBI

Apud Nobb. de Æmiliis ex Vett. MSS.

LXXVI.

D . M
A . SERVILIVS EPAFRODITVS
V . A . VI . M . VIII
A . SERVILIVS EPAFRODIVS ſic
PATER FECIT ET SIBI
LIBERTI LIBERTABVSQ. SVIS
POSTERIQ. EORVM

Apud D. Jo: Baptiſtam Paſſerium J. C.

VI-

Digitized by Google

LXXVII.

VIXIT ANNIS XXX
SATRIA PRIMITIVA
MATER FILIO
PIENTISSIMO

In Eccleſia D. Decentii.

LXXVIII. *

D M
L . ACCIO . L . F . COLON . PISAVR
ET LVCRETIAE FLAVIAE
P P
L . ACCIVS . L . F . MERENS
H . M . P .

In Ædibus Pardiorum ex Maccio de Portu Pis lib. I. C. xvii.

LXXIX.

*D* (*Patera cum tribus foraminibus*) *M*

*PILLIAE ALLICILLAE ET C . MARIO PV*
*DENTI PARENTIBVS DVLCISSIMIS*
*FECIT MARIA IVSTA*

Literis rudibus apud D. Jo: Baptiſtam Paſſerium J. C.

D.M.S.

Digitized by Google

LXXX.

D . M . S .
C . POMPEIO APOLLONIO
C . POMPEIVS APOLLINARIS F .
ET FVLVIA TRYPHENA
CONIVX FECERVNT

Apud Nobb. de Æmiliis ex Vett. MSS.

LXXXI.

C . SEMPRONIVS C . L . DEIVS
ET C . SEMPRONIVS C . L . FLORVS
V . F . SIBI ET SEMPRONIAE AM
MIAE MATRI SEMPRONIAE
FLORAE SORORI SEMPRO
NIAE PIETATI SEMPRONIAE
LONICAE L .
IN F . P . XXIV IN A . P . XII

Villa olim Montanaria nunc Galantaria.

P.AE-

Digitized by Google

LXXXII.

D : M
P . AELIVS . EVARISTVS . FECIT
SIBI . ET . COIVGI . VENEMERENTI
AELIAE . FILETENI . LIBERTIS . LIBERTA
BVSQ . POSTERISQ . EORVM . L . VAFRIVS . CLE
MENS . FILIVS . AELIAES . FILETENIS . MATRIS
DVLCISSIMAES . SCRIPSIT . NOMINE . SVO . ET
IVLIAE . ATTALIDIS . COGNAT . ET . ATTIAE . PRIS
CILLAE . ET . LIBERTIS . LIBERTABVSQ . EOR
ET CLAVDIO MERCVRIO COGNATO

In *Banchi*.

LXXXIII.

D . M
AGABRORIVS . FELIX
VIVOS . SIBI . FECIT . ET
MINDIAE . EPITEVSI
CONIVGI . KARISSIM . ET
INCOMPARABILI
CLAVDIANAE
FILIAE . NATVRALI
LIBERTIS . LIBERTAB . Q
POSTERISQ . EORVM

Ex Gruter. p. DCCLII. 10.



Digitized by Google

LXXXIV.

CANDIDIANAE
CANDIDIANVS
COIVGI . BENE
MERENTI . FECIT

In Eccleſia PP. Cappucinorum.

LXXXV.

CASONIVS
CASONIAE
VXORI . DVL
CISSIMAE

In quadam domo prope Ædes Thomaſiorum ex Vett. MSS.

LXXXVI.

D . M.
TI . CLAVDI . APRILIS . MODIA . MAXIMILLA
VXOR . CONIVGI . OPTIMO . DE . SE . B . M . MACERIAS
A . FVNDAMENTIS . CVM . AEDICVLIS . ET . OLLARIS
SVA . INPENSA . CIRCVMCLVSIT . SIBIQVE . ET . CLAVDIIS
MAXIMO . ET . APRILI . FILIS . LIB . LIBERTABVSQVE
POSTERISQ . SVIS . ET . EORVM . FECIT

Ex Fabrett. Inſer. Dom. Cap. I. n. 61.

D.M

Digitized by Google

LXXXVII.

D . M
TI . CLAVDIO
PROCLO
FECIT . FLAVIA . PRIMITIVA
CONIVGI . SVO
BENEMERENTI
HOMINI . BONO

In aſcenſu Scalarum D. Franciſci literis pene deletis.

LXXXVIII.




Muſæo Arditio.



Digitized by Google

LXXXIX.

IVLIAE . IVSTAE . CON
IVGI . KARISSIMAE
CVIVS . OBSEQVIIS
IMPAREM . ME . SEM
PER . PROFITEOR
QVAE . VIXIT . MECVM
IN . COIVGIO . PER
CASTITATEM · SV
AM . AN . XL
VASSELLIVS . SA
BINIANVS . M
ARITVS . POSVIT

Olim apud Nobb. de Prætis ex Vett. MSS.

XC.

*D . M*
*T . MALIVS . PISTVS*
*FIICIT*
*IVLIANAI . PIIA*
*CoIVGI . SVAI*
*CARISSIMAI*

Cippus literis admodum rudibus Muſæo Arditio.

NIM-

Digitized by Google

XCI.

D . M
NIMPHIDIAE MACA
RIDI . A . MENENIVS
HIPPO LITVS
VXORI SVAE
B . M . F

*Patera cum ſeptem fora minibus*

Apud Nobb. de Æmilis ex Vett. MSS.

XCII.

D . M
PVBLICIAE
SECVNDAE
ANCHARIVS ABA
SCANTVS
CONIVGI

Olim In Ædibus Canonicalibus ex Vett. M. SS.

XCIII.

D . M
SATRIAE . PI
PVSAE . Q
SATRIVS . CA
LISTVS . CON
IVGI . SVAE
B . M . FEC
CVM QVA
VIXIT . AN
NIS . XXX

Olim apud Nobb. de Gozze nunc apud D. Advocatum Paſſeri.

XCIV.

D . M
DECIMIA
MARCELLA
TAVRISCO
VITALI . CO
IVGI . DVLC
ISSIMO . Q
VI . MECVM
CONVIXIT . AN
NIS . VICINTI
SEPTE . MENSES
TRES . PER . CVI
VS . BENEFICIO . E
T . BENIGNITATE . I
NPAR . FVI . B . M . P

Reperta in Suburbano Macignorum ſub Imperiali ex Vett. MSS.

XCV.

D . M
VELCIAE
BENEDICTAE
L . TARVSIVS
PARTHENOPAEVS
CONIVGI
OPTIMAE
ET SIBI

Apud J. C. Paſſeri.

D.M

Digitized by Google

## XCVI.

D . M
C . VETVRIVS SOZOM
SE BIBO COMPARABIT
SIBI . ET . VETVRIE
F E L I C I S S I M E
COIVGI SVE BENEME
RENTI . ET . LIBERTIS
L I B E R T A B V S Q.
POSTERISQ . EORVM
IN . FRONTE . PEDES . XII
IN . AGRO . PEDES . XVII

In Banchi.

## XCVII.

D . M
VETTIAE SEVERAE VETTIVS LVPER
CIANVS CONIVGI FIDELISSIMAE VIXIT
ANNIS CVM EO XXI . MENS . X . DIEB . X

Ex Schedis Barberinis.

BENE-

Digitized by Google

## XCVIII.

BENEMERENTI . CONIVG
FECIT . QVI VIXIT . MECV
DIGNIS . LVCE . FECISSTI . PONT
ET FILI & BENE & MERENT

Apud me.

## XCIX.

D . M
T . AELIO . ANTONINO
QVI . VIX . ANN . V . DIEB . XXXIIII
C . IVLIVS . IVSTVS . FRATRI
SVO . CARISSIMO . ET
IVLIA . IVSTA . MATER . FILIO
SVO . DVLCISSIMO . FECERVNT
ET . SIBI . ET . SVIS . LIB . LIB . POSTERISQ .
EORVM

Olim in Villa Chelmontis Nobb. de Gozze nunc apud J. C. Passeri.

D . M

Digitized by Google

C.

D . M
A E L I A E
T R O F I M E
VIXIT . A . XI
M . I . D . XXIV)
L I B E R A L I S
C A E . V E R N
F R A T E R . F E
C I T . S O R O
R I . B E N E M E
R E N T I . P O S
TERISQ . SVORVM

Olim apud Nobb. de Æmiliis nunc apud Nob. D. Canonicum Paullium.

CI.

D . M
AVGENDICO . L . F
SAB . DEXTRO . FRATRI
. . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . .
VIXIT . ANNOS . XXVIII
. . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . .

Olim apud eoſdem DD. de Æmiliis.

M D.M

Digitized by Google

CII.

D . M
DECIDIAE ROMANAE
IVLIA FILVMENE
SORORI PIENTISSIMAE

Olim Villa Montanaria ex Vett. MSS.

CIII.

D : M
Q · SATRIO
CALLISTO
FRI . B . M . F .
SATRIVS
TROPHIMVS
PIISSIMVS

Olim in eadem Villa Chelmontis, nunc apud eumdem D. Advocatum Paſſeri.

M . SEX-

Digitized by Google

CIV.

M.SEXTIVS.M.L.
STABILIO . SIBI . ET
M.SEXTIO.M.L.PATRONO
ET. M.SEXTIO.M.L.PHILARGYRO
FRATRJ

*Duo Ciplopes ferrum*
*ſuper incudem exercentes*

EX TESTAMENTO

Cippus prægrandis in Porticu Eccleſiæ D. Mariæ Suburbii dicti *delle Fabreccie* cui forte hoc Marmor nomen dedit.

CV.

D . M
D.S.NEPOTI
QVI VIXIT . M . X
DIES . XXI

Urnula Ornatiſſima olim apud Nobb. de Æmiliis ex Vett. MSS.

D.M

CV.

D . M
BONITATI . PI
ENTISSIME
L . PETRONIVS
SEVERVS
SOCERE
INCOMPA
RABILI

Cippus Villa Gavardina ad Arcus.

CVII.

PIO . PRE

Nubilariæ in agro Piſaurenſi ex Maccio de Portu Piſ. lib. I. Cap. XIV.

CVIII.

D . M
AELIAE TREBA
P . AELIVS DI
ET. P. AEL. I
SAC . BAC

Rudibus literis apud Advocatum Paſſeri.

M. AT-

Digitized by Google

CIX.

M : A T T I V S . C .
VISIDIAE . M . F .
M . VISIDIO . M . F .

In Porticu Publici Palatii.

CX.

D . M
CALLIOPES
PERSEVS
CONSERVE
SYAE . FECIT

Ex eadem Villa Chelmontis apud eumdem Advocatum Paſſeri.

CXI.

Θ Θ Θ
CASSONIO VITALI VESTINO VERECVNDO
CASSONIO VALENTI CASSONIA VITALIS DELICATIS

Olim in Ædibus DD. de Julianis, nunc in Urbinatenſi Cl. Fabretti Suburbano.

N D. M

Digitized by Google

CXII.

D · M
CORNELIO · AGATHONYMO
OPTIMO . ET . INNOCENTISSMO
LIB · CVIVS CREMATI RELIQVI
AE · HOC · LOCO POSITAE SVNT
FECIT CORNELIVS ARCANVS

ITEM · D · M ·
CRESCENTI · QVI · VIX ANNIS
VIII MENS V DVLCISSIMO
ALVMNO . FECIT RESPECTVS

Apud me.

CXIII.

L · NAEVIVS . CINNAMVS . FECIT
SIBI . ET . SVIS . LIBERTIS . ET
LIBERTABVS . POSTERISQ . EORVM
C · SOSSIVS · LVPERCVS . FECIT
SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS. ET. LIBERTABVS
POSTERISQ . EORVM

Apud me.

D.NER-

CXIV.

D . NERFINIVS . D . L
VRBANVS . VI . VIR
FECIT . SIBI . ET . SVIS
IN . FRONTE . P . XV
IN . AGRO . P . XX

Villa olim Montanaria nunc Galanteria ad Trivium Antiquum.

CXV.

D
PETRONIO
QVI VIXIT A
PETRONIVS
APLASIA R
DESIDER
VIT . HOC . I .... DIG
GAVDET

Apud quemdam in *Borgo* ex Vett. MSS.

CXVI.

D . PVBLICIVS . D . L . CHARITO
SIBI ET PVBLICIAE D . L
MVSCINI VIVOS FECIT

Apud Nobb. de Abatibus.

C. QVIN-

Digitized by Google

CXVII.




Apud Nobb. de Gavardinis.

CXVIII.

D . M
Q. SERGIO Q. L.
PYLADI
SERGIA Ɔ. L..
DEOPTATIA
ET Q. SERGIO Q. L. EPATHRE

Apud quemdam ex Vett. MSS.

L. SI-

CXIX.

L . SIGNIVS
ERONIS L . EROS
VLIA Ɔ·L TIMARIS

Muſæo Arditio.

CXX.

D . M
SVEDIAE·
VICTORINAE
P . GARGILIVS

Olim apud Sebaſtianum Maccium Publici Piſaurenſis Ludi Magiſtrum ex Vett. Mſſ.

CXXI.

CARISIMO TATIANO BEAI

Apud Ictum Paſſeri.

CXXII.

ELIDIA
VS . Q . F.
B . M

In prædio Bonnatiorum in Monte Arditio.

O : VE...

Digitized by Google

CXXIII.

: VE ... HA ... SIA ....
L. ASVILLIVS MYRINV ......
AVFIDIA TICHE
C. LVSANIVS MESI .......
L. PVPPIVS AVCT .......
T. VATERNIVS CR ......
T. LE ...... M ..........
CN. MARIVS SAP .......
M. ISSINIVS M .......
C. M ..............
L. PLA ...........
L. VAL ............
L. VAL ..........
C. MA ...........
. . CV ............
BA . . ONIA .....
PRAE .......
EVT .........
SVCCESSV .......

In Cœnobio D. Joannis Baptistæ.

CXXIV.

LENS
PRISCVS
PRISCVS
PRISCVS
EVDO
EM

Apud me.

TRA-

Digitized by Google

CXXV.

TRAIAN
EX TESTAM
HER

In Cœnobio PP. S. Joannis Baptiſtæ.

CXXVI.

D . M
TIAE HOLOCHRISAE QVAE
ET CL

Apud Iſtum Paſſeri.

CXXVII.

EX O . F . VOCO
NIAE EX SOC

Olim apud Nob. Marcellum de Prætis ex Vett. Mſſ.

CXXVIII.

VARIO CVRI

In Pariete Domus olim Nobb. de Cavalchis.

VENE-

Digitized by Google

*

CXXIX.

VENERI VIXI
AEMVLA
SAXO OCCVLV
IT DELITIAS
LIVOR
PIETATE ARTI
FICIS ITERVM
VIVEBAM
NI ME VIDISSET
MARMORE
AM VENVS

Olim in Hortis Ducalibus ex Vett. Mſſ.

CXXX.

C. ACCIVS. C. F. CAM

In Eccleſia S. Dominici ex Vett. Mſſ.

CXXXI.

T. ACCII
PISAVR
CINERES
S

In Operculo Cinerarii apud D. Advocatum Paſſeri.

V. M.

Digitized by Google

CXXXII.

v . M . ATTIVS . REPENS . MAGISTER . VICI
v . TRANIA . PRIMA
v . T. MARIVS . C . F . CAPITO

In Ædibus Pardiorum ex Collectione Donii Cl. Y. 19.

CXXXIII.

M . ARISTIVS
OLLAS . OSSVA

Ex eadem villa Chelmontis apud Advoc. Paſſeri.

CXXXIV.

*HER ❦ MAMETI ❦ LIB*
*BENE ❦ MERENTI ❦*
*Q . VIXIT AN . XL ❦*

Apud eumdem.

CXXXV.

D . M
C . ❦ LENTIDIVS
AVGVSTALIS

Apud eumdem.



Digitized by Google

CXXXVI.

P . MARCIVS . P . L .
HILARVS
DEC . ESQVILINVS

Apud eumdem ex eadem Villa Chelmontis.

CXXXVII.

M . PEDANIvS
M . F . CAM
EX . TesTamENT

Cippus alle Colombarette.

CXXXVIII.

SEX . SALVIO . Q . F
CAM
EX TESTAMENTO

In Pariete Cathedralis Eccleſiæ.

CXXXIX.

M . SIRPIO . . . .
MATHONI
EX TESTAMENTO

In Porticu Pubblici Palatii.

D TIG

Digitized by Google

CXL.

| | |
|---|---|
| D | |
| TIG *pareta* | RIDI |
| *perforata* | |
| APER | CONS |

In Antiquo Sacello D. Georgii in Cænobio PP. Dominicanorum.

CXLI.

D . M
P . VERACI
P . F . CAM

In Ædibus Tomaſiorum.

CXLII.

VETTIA ↃL
HOSPITA
IN . FR . P . XII IN AGR
P . XIIII

Cippus in Banchi.

CXLIII.

VETTIA ↃL
HOSPITA
IN. FR . P . XII IN AGR
P . XIIII

Alius Villa Gavardina ad Arcus.

D RON

Digitized by Google

CXLIV.

D
R O N
VIXIT

Apud Ictum Jo: Baptiſtam Paſſerium.

CXLV.

S O M
S . EPAPH

V . S . ET
I P.....

Apud eumdem ejuſdem Inſcriptionis fragmenta.

CXLVI.

BERA
AESSS

Apud eumdem.

CXLVII.

L M......
TAVIT........
TIONIS RVS..
IMIS........

Apud eumdem.

Pere-

# CHRISTIANA.

CXLVIII.

IMP . CAES . T . AELIO
HARDIANO . ANTONI
NO.AVG.PIO.COS.IIII.P.P.COLLEG
CENTONAR . SVASANOR
L . BVRBVLEIVS . MATVTINVS
SEX VIR

Apud me.

CXLIX.




DIIS . MANIBVS
T . FLAVIVS . ASPER
TITVLVM . POSVIT
FRATRI . SVO
P . AELIO DECIMINO
BENEMERENTI . MIL
A . XVII EQ . SING . AVG . V . A
XXXV

Apud D. Advocatum Paſſerium.

Q DM

CL.

D M .
Q . POMPONIO . VERO
AEQ . IIIPL . AVREL . A .
F . ABVCIVS . PIVS . NAT
VIND . COM . S . B . MER

Apud eumdem.

CLI.

D M
AMAZONIVS GAL . A . L .
A . GEMMA . POTORIA .

*D M*
*CORNELIAE . A . L .*
*A . CALAMISTRO*
*V . A . XXX . M . V .*

Apud eumdem.

CLII.

D M
CORNELIA . A . L .
ACTE . COROLLARIA .

D M
ACHILLES . GALL . A . L .
A . RATIONIBVS . PATRIMO

Apud eumdem.

D . M

Digitized by Google

CLIII.

D . M
CORNELIA . P . L .
HΣIXIA
VIXIT . A . LXIII .

Apud eumdem.

CLIV.

D ❦ M
AGATABOLVS . F . L . PYRRVS
FIGVLVS . SIGILLATOR .

Apud eumdem.

CLV.

L . OREIO . PAPIATI
FILIO . DVL
L . OREIVS . PAPIAS

Olim apud Epiſcopum Oliverium Pontificii Sacrarii Præfectum.

CLVI.

Digitized by Google

# CLVI.




Urnula apud me.



*In Horto Doc: Didij.*

Chri-

# CHRISTIANA.

## CLVII.

*PARENTES FILIO DVLCISSI*
*MO ISTERCORIO QVI*
*VIXIT ANIS III ME*
*V . D . XXIIII . IN PAC*
*E . D . XVII . KAL . IANV*

Apud me.

## CLVIII.

*AURELIO ERCULIO*
*BENEQUENTI EN* IN PA
*QUI UISSIT ANNU ET MESIT Q*

Apud me.

## CLIX.

ΕΙΡΗΝΗ
ΜΕΤΑ . ΑΓΑ
ΠΗϹ

Apud me.

CLX.

VITALINI FILIE DVLCISSIME

Olim apud Epiſcopum Oliverium Pontificii Sacrarii Præfectum.

CLXI.

AVR. BERINVS VLPIAE CANDIDIE COIVGI
SVE BENEMERENTI FECIT IN PACE ANNORVM XXXV

Apud eumdem.

CLXII.




Apud J. Conſultum Paſſerium.

CLXIII.




Apud eumdem.

VA-

Digitized by Google

CLXIV.




Apud eumdem.

CLXV.




Apud eumdem.

CLXVI.




Apud eumdem.

PO-

CLXVII.



Apud eumdem.

CLXIII.

ΦλΑΒΙω ΚΙΡΙΟ ΓλΙΚΙ....

ΕΖ ΗCΗΝΕΤΗ ΠΕΝΤΑ Columba

ΑΚΕCΙΑS ΑΚΟλΟΥΘΟC ΕΠΟΗCΗΝ

ΙΡΗΝΙ COI  ΕΝ ΟΥΡΑΝω

Apud eumdem.

CLXIX.



Apud eumdem.

CLXX.

OSIMAE QVIE
MAE FOEMINAE

Apud eumdem.

CLXXI.




Apud eumdem.

CLXXII.

CARISSIIA
VIXIT A
BACR

Apud eumdem.

CLXXIII.

*LOCVS FABIANI KA . . . . . .*

*VXT . A . LXI . DP . ANTI I*

Olim apud Emum Card. de Abatibus Oliverium.

CLXXIV.

EYTACTI . I . PACE

YCIT . A . XXXI

*Dua domuncula cum palma inter media.*

Apud eumdem.

CLXXV.

HILA

*gallus* RO DVLCI *gallus*

*Duo piſces.*

Apud eumdem.

CLXXVI.

ſic

AVRELIE IENVH

RIHE IN PHCE

Apud eumdem.

PRI-

## CLXXVII.

☧ PRIMITIVO PIISSIMO
IN PACE

*palma* *vas cum duabus palmis*

Apud eumdem.

## CLXXVIII.

☧

*cete Jonam evomens*

MAPCIANO
KAPISSIMO FEC
IT ΠPIMAKIA
NA MATER EN
HPHNE

Apud eumdem.

## CLXXIX.

☧ KAIANE VIBAS
SOTERVS FECIT
IN PACE *ancora*

Apud eumdem.

CLXXX.

*IOVIANO* ☧ *KARISSIMO*

*FECIT LAMPADIVS ET SOTERES FRA*

*TRES PIENTISSIMI MEROBAUDE*

Apud eumdem.

CLXXXI.

☧ VICTOKINA

ANR . XϚ DV DEC

Apud J. C. Paſſerium.

CLXXXII.

❦ΤΩΑΙΜΝΗϹΤΩ

ΦΗΛΙΚΙϹϹΙΜΩ

ϵΖΗ ϹΗΝ ϵΝΙΑΥΤΟΝ

ΚΑΙ ΜΗΝΑϹ ΔϵΚΑ

Apud me.

AP-

# APPENDIX.

CLXXXIII.

POL . MILES . LEG .
VIII . VETERAN
ORIVNDVS . TVDER
HIC . SITVS . EST

Nuper reperta in Plebe Veteri Geniſtreti Diœceſ. Piſauri.



*Museo Arditio.*

| *ERRATA.* | | | | *CORRIGE.* |
|---|---|---|---|---|
| *Pag.* 5. | *lin.* 12. | A. | | M. |
| *Pag.* 14. | *lin.* 11. | TURBONIS | | TVRBONIS |
| *Pag.* 22. | *lin.* 2. | XLVIX. | | XLIX. |
| *Pag.* 30. | *lin.* 18. | eques pedite dextro | | dextro, èques pedite |
| *Pag.* 32. | *lin.* 10. | PATRONIA | | PETRONIA |
| *Pag.* 47. | *lin.* 6. | FRATRJ | | FRATRI |
| | *lin.* 7. | cyclopes | | fabri |
| *Pag.* 49. | *lin. ult.* | Urbinatenſi | | Urbinati |
| *Pag.* 61. | *lin.* 5. | HARDIANO | | HADRIANO |
| *Pag.* 65. | *lin.* 15. | ELPHNH | | EIPHNH |

NO. 1

Digitized by Google

# NOTAE.

## I.

AB *Jove Principium, Muſa:*

Ab eo, ut nos quoque initium capere poſſemus, fecit V. C. Marquardus Gudius, cujus Antiquarum Inſcriptionum Collectio Leovardiæ An. MDCCXXXI. operâ Franciſci Heſſelii edita, hanc nobis Inſcriptionem ex Ligorio petitam ſuppeditavit. Nollem Ligorii nomen ſatis ſuſpectum negotium Eruditis iis faceſſeret, qui a Doctiſſimis illum Scriptoribus ſublestæ fidei quandoque accuſatum, & manifeſti etiam mendacii reum non ſemel deprehenſum noverint. Licet enim certum ſit Inſcriptiones plurimas a Ligorio exhibitas fuiſſe, quas fictitias eſſe nemo ſanus negaverit, inde tamen haud recte infertur falſas eſſe, & mendaces quotquot a Ligorio proferuntur; Eſt enim, ut inquit Heſſelius in Apend. Præfat ad eamdem Gudii Edit. *ridiculum hoc de omnibus fere ſuſpicari.* Porro nihil eſt, cur Piſaurenſis hæc Inſcriptio in dubium revocanda ſit, quum præſertim ampliſſimum illi tribuat antiquitatis teſtimonium vetus aliud Marmor, adhuc in Aulâ, quam *Banchi* appellant, exiſtens, a Collegio Fabrum eidem *M. Nævio Juſto Ædili Curuli* poſitum, qui Inſcriptionem hanc *Jovi Optimo Maximo* dicavit.

IVST. VERISSIMVS. *Veriſſimi* cognomen non habet Inſcriptio baſis Statuæ eidem M. Nævio a Collegio Fabrum Piſaurenſium poſitæ, quam Vid. N. XL.

AEDIL. CVRVL. Splendidiores Colonias ambitioſe honorifi-

rificentiores titulos affectaſſe jampridem a Viris doctis obſervatum eſt. Piſaurenſes neque in hoc cæteris conceſſerunt. En municipalis Ædilitas, Curulis appellatione inſignita. Non deſunt tamen in aliis Coloniis exempla. Aediles *Ariminenſes*, *Curules* dictos fuiſſe teſtantur Veteres Inſcriptiones Gruter pag. MXCI. 12. MXCII. 1. *Interamnates*, antiquum Marmor, quod primum a Fabretto Inſc. Dom. Cap. IX. n. 160. mox in Gudii collectione vulgatum eſt pag. LXXIV. 4. & 5. & in Syntagm. Doniano Cl. II. 35.; nec non aliud Fragmentum eumdem fortaſſe *C. Dexium Ædilem Curulem* deſignans apud Gudium p. LXXXIV. 1. repetitum pag. CXLIII. 4. *Puteolanos*, lapis primum a Grutero, loco non indicato ubi exſtaret, pag. X. 2., deinde a Cl. Vignolio Claſ. I. Inſc. ſelect. pag. 192. poſt diſertation. de Columna Antonini editus. *Attidiates*, alia Vetus Inſcriptio apud Gruter p. CCCV. 1. repetita p. CCCCXLII. 10., quæ iterum auctior in Doniano Syntagm. prodiit Cl. V. 171.

L. D. D. D. PVBLICE. Inſcriptio vel aræ IOVI OPTIMO MAXIMO dicatæ inſculpta fuit, vel baſi Jovis Simulacrum ſuſtinenti, quæ a M. Nævio Juſto Piſaurenſis Coloniæ Ædili Curuli publico aliquo in loco collocata fuerit, quod ſingulares notæ L. D. D. D. *Locus Datus Decreto Decurionum* demonſtrant. Quotiens enim publico in loco ponenda erat Inſcriptio, ſive ſacra eſſet, ſive profana, a Decurionibus ejuſdem loci conceſſio erat impetranda. Occurrunt exempla & in aliis ſacris Inſcriptionibus apud Gruter pag. XXII. 4. XXXVI. 11. 15. XLIII. 10 XLVIII. 3. Gudium p. I. 4. XVI. 6. XXV. 1. & Donium Cl. I. 34. 35. 136.

Sed quoniam de Jove agi cæptum eſt, ubi Templum illius fuerit, inveſtigemus. Plura equidem Jovi Templa poſita fuiſſe a Piſaurenſibus, facile mihi perſuadeo; Precipuum vero, ſaltem dignitate, illud fuit, quod Q. Fulvius Flaccus Cenſor extruxit Anno Urbis DLXXX. cujus meminit Livius lib. XLI. Cap. 32.; quem locum, quando alia præclara opera ab eodem Cenſore Piſauri facta memorat, in vulgatis editionibus corruptum, ex Mar. Donati, Car. Sigonii, Jo. Clerici caſtigationibus integrum hic recitabo. *Et alter ex iis* (Cenſoribus) *Fulvius Flaccus, nam Poſthumius nihil, niſi Senatus Romani, Populive juſſu, ſe locaturum ipſorum pecuniâ dicebat, Jovis Ædem Piſauri, & Fundis, & Pollentiæ: aquam etiam adducendam, & Piſauri viam ſilice ſternendam, & ſinueſſæ glareâ: in his & cloacam in fluvium circumducendam, & forum porticibus*,

*cibus, tabernisque claudendum, & Janos tres faciendos: Hæc ab uno Cenſore opera locata cum magnâ gratiâ Colonorum.* Is Q. Fulvius Flaccus decennio ante III Vir Coloniam Piſaurum deduxerat, quod & ipſe Livius ſcribit lib. XXXIV. Porro de hujus Ædis ſitu ita diſſerit M. Antonius Gozzeus Piſaurenſis in primo, eoque unico patriæ Hiſtoriæ libro. *In qual parte della Città foſſe edificato queſto Tempio a Giove, ancorchè non ſi ſappia di certo, nondimeno ſi può darne qualche giudicio: Che ſe è vero, che le Colonie de' Romani aveſſero le leggi, e gl'inſtituti della ſteſſa Repubblica Romana, e che rappreſentaſſero una effigie, e un ſimulacro della grandezza, e nobiltà di lei, come riferiſce Gellio, ſi deve credere, che, ſiccome in Roma nella parte più eminente del Campidoglio fu dedicato il famoſo Tempio a Giove Ottimo Maſſimo, così anco in Peſaro nella parte più rilevata, e più coſpicua, ſecondo ne inſegna anche Vitruvio doverſi fare per onore di queſta, ch' era ſtimata Deità ſovrana, foſſe dal Romano Cenſore inalzato il Tempio al medeſimo ſuo Dio, ſopra le ruine del quale nel girar degli anni, credeſi, che ſia poi ſtata fondata la Chieſa, e il Monaſtero, che chiamaſi di S. Domenico ſulla fronte della Piazza maggiore, la qual regola fu anco oſservata da' Greci.* Templa circa forum ſtatuantur. *Ariſtot. lib. I. cap. 12.* Propius accedit Sebaſtianus Maccius de Portu Piſauri lib. I. Cap XII. *Tertio quoque ab hinc anno, quum erueretur ſepulchrum maxime profundum in Cathedrali S. Terentii Eccleſiâ, detectum fuit in imâ ipſius ſubterranei Specus parte pavimentum, quod vermiculatis ad effigiem rerum, atque animalium cruſtis erat contextum: Opus erat admirabile, teſsellis inſititiis maxime variatum, atque conſertum, emblemataque diverſorum colorum, atque oblectationum imagines referebat; Nam hic fontes, rivi, ac flumina: illic ſtagna, lacus, & paludes: hic roſæ, flores, ac lilia, illic prata, colles, ac valles: hic cervi, capræ, ac damæ: illic cycni, anſeres, atque anates: multa quoque alia, quæ precii erant inæſtimabilis propter venuſtatem, ac varietatem lapillorum, & omnem humanæ induſtriæ artem ſuperare videbantur. Hæc pervetuſtæ fuiſse ædificationis ſine dubitatione eſt affirmandum, neque ab ullo locum hujuſmodi fuiſſe Templi Bacchi pavimentum negabitur: res enim in eo effigiatæ id nobis indicare videntur. Sub hoc pavimento etiam aliud, dum effoderetur, in profundiſſimo loco conſpectum eſt teſsellatum pariter, atque emblemate vario exornatum. Sed quum in eo, & fulmina, & ſellas, & ſceptra, & coronas effigiatas*

*mihi retulerint*, *exiſtimo illud Templi Jovis*, *quod jam dictum eſt fuiſſe conditum a Q. Fulvio Flacco* (*) *Coſ. A. V. C. DLXXV.*, *extitiſſe pavimentum ab eodem Conſule conſtructum. Hac namque omnia Jovis inſignia ſunt: enimvero Eccleſiam*, *Templum Jovis primum fuiſſe mihi perſuadeo*, *poſtea vero a M. Antonio Baccho ſuo dicatum*. Hæc Maccius; Quod vero idem ſcribit pavimentum illud ſuperius Templi Bacchi fuiſſe, cui a M. Antonio Templum Jovis dicatum fuerit, Nugæ. Pavimentum illud ſuperius muſivo opere ſtratum, Chriſtianorum opus fuit, & quovis pignore contenderem fuiſſe pavimentum Cryptæ ſubterraneæ Cathedralis Eccleſiæ, quam A. D. MCCCCXLVII., translato Corpore D. Terentii Piſaurenſium Patroni a Joanne Epiſcopo oppletam adhuc dolemus. Teſtem habeo Franciſcum Fabbrium in deſcriptione Cathedralis Eccleſiæ poſt Vitam Divi Terentii; ait ille: *Queſta Chieſa fu per il dipoi abellita di vaghiſſimi ornamenti anco nel ſuo primo ſpiano di nobili*, *e riguardevoli Moſaici con diverſe figure all' uſo antico*, *le quali per cauſa del nuovo Terrapieno ſi vedono nel fondo delle Sepolture cinque piedi abaſſo*.

## II.

IN Epiſtylio grandibus literis exarata Inſcriptio, in fundamentis Publici Tabularii ſuperiori ſæculo de integro conſtructi, periit; tam vile erat iis temporibus vetuſtorum lapidum pretium. Patet ex eâ Cereris Templum, vel Sacellum, vel Ædiculam aliquam fuiſſe Piſauri.

## III.

VUlgavit hanc Inſcriptionem ex Langermanno Reineſius Cl. I. 179. Sed in eo fallitur, quod Cæſenæ eſſe ſcribat. Exſtat etiam num apud Nob. de Æmiliis in Villâ Collis Albani, ara, quam hinc patera, inde urceolus exornant, inſculpta. IVL. ita perſpicue in marmore legitur, *Julius*; perperam Langermannus Reineſio FVL. obtruſit.

Non erit alienum imaginem hic afferre pulcherrimæ Statuæ aheneæ Piſauri inter Templi rudera repertæ Anno D. MDXXX., de quâ Æmilius Mancinius J. C. Piſaurenſis in Præf. ad Patriæ

(*) *Male: Templum enim illud*, *ut ex Livio docuimus*, *a Flacco Cenſore conditum fuit*, *cujus cenſura incidit in annum U. C. DLXXX.*




EX AERE ALTA PEDES GRÆCOS V VNCIAS III OLIM
IN MVSEO ROBOREO NVNC IN MEDICEO
*Reperta Piſauri A.D. 1530. Mançih. in Pref. ad Stat. Piſaur.*

Digitized by Google

trix Urbis Statuta ſequenti anno impreſſa ita diſſerit. *Superioribus enim diebus dum Alexander Barignanus Concivis fundamenta quædam pro erigendo ædificio juxta Viridarium Principis fodi mandaſſet, ſub terram per pedes circiter decem reperta eſt Statua ænea Bacchi antiquiſſima, frondibus, & vitium fructibus circa tempora ornata, quæ in altera manuum frondoſam vitem cum uvarum racemo habet, ſtatque ſupra baſim .......... hanc ſi mercenarii illaſam effodiſſent, arbitrantur omnes, qui eam viderunt, maximo pretio ob ejus antiquitatem, & formam, & artificium exiſtimandam: habet enim lineamenta, muſculos, venaſque naturalibus non diſſimiles, & circa eam antiqui Sacelli veſtigia non deerant. Hanc Principi Alexander ipſe donavit, qui eam priſtinæ antiquitati pro viribus reſtitui mandavit; fietque quoniam Antiquitatum & cuſtos, & amator eſt.* Petrus quoque Cardinalis Bembus in Epiſtolâ, quam ad Petrum Pamphilium Duciſſæ Aulicum ſcribit die 8. Junii 1531. impreſſâ Vol. III. lib. VIII. epiſt. 3. *Da Monſignor l' Arciveſcovo di Salerno ho inteſo quanto ſia bello il Bacco di bronzo trovato coſtì, di che mi rallegro colla Illma Signora Ducheſſa, che havrà così bella reliquia trà le altre Coſe ſue:* & eod. Vol. lib. IX. ep. 13. ad Joannem Jacobum Leonardium Comitem Montis Abatis Piſaurenſem, Ducis apud Venetos Oratorem, Inſcriptionem miſit hujuſmodi. *Al Bacco di rame trovato ſotterra coſtì:*

*Ut potui, huc veni, Phebo, Delphiſque relictis.*

*Queſto dico, perciocchè anticamente ſi adorava in Delfo inſieme con Apolline.* Quam in fronte elegantiſſimæ baſis, quæ item ex ære ad Statuam ſuſtinendam ducta fuit, incidendam Franciſcus Maria I. Dux curavit, paullo tamen immutatam; memini enim olim ita legiſſe:

*Ut potui, huc veni, Delphis, & fratre relicto.*

Quod & datis ad me literis teſtatus eſt Sebaſtianus Bianchi Mediceæ Gazæ Præfectus. Hieronymus quoque Arditius, qui Anno D. 1570. circiter, plura ſcripſit, quæ MSS. apud me ſervantur, quo loco vetera monumenta reperta ſint, tradens, ait: *In Caſa de' Barignani vi era il Tempio di Bacco, ed al tempo, che Meſſer Barignano faceva ſcavare, ſi trovò un Bacco di bronzo.* Demum M. Antonius Gozzeus in unico Hiſtoriæ Piſaurenſis libro. *Perchè ciaſcuno, che ha viſta, e vede queſta Statua di bronzo giudica da molti ſegni eſſere antichiſſima, e forſe prima de' Romani; e ſe foſſe vero quello, che dice Plinio dell' uſo delle Statue:* Græca res eſt nihil velare: at contra Romana,

mana,

Digitized by Google

mana, ac militaris thoracas addere: *eſſendo queſta totalmente ignuda in ogni ſua parte, ſi potria dire, ch' ella foſſe opera de' Greci antichi*. Improbat deinde illorum ſententiam, qui templum illud cum hoc Bacchi Simulacro a Piſaurenſibus poſitum exiſtimabant, ut M. Antonio adularentur; Mox ita pergit: *La Statua di Bacco, di cui ſi è parlato qui ſopra, alta più che di ſtatura umana fu per molti anni cuſtodita nelle Stanze dell' Armeria di Peſaro dai Principi della Rovere, finchè di queſti Franceſco Maria l' ultimo, pochi anni prima della ſua morte, la fece traſportare tra gli altri Corredi deſtinati alla Gran-Ducheſſa ſua Nipote a Firenze, privandone con gran ſventura della Città di Peſaro di una così degna memoria, e di un teſtimonio molto onorato della ſua antica nobiltà*. Communibus ergo ſuffragiis Statua hæc pulcherrima Baccho adjudicata eſt, licet nec tempora vitibus circumdata ſint, nec manu racemum præferat, ut Mancinius aſſeruit. Porro inde omnis Mancinii natus eſt error, quod vitibus, atque uvis anaglypho opere inſculptis Cella fortaſſe, in quâ Simulacrum ſtabat, ornata eſſet, quas ille perperam circa ejuſdem Simulacri tempora, & manus deſcripſit. Id certe innuere videtur Sebaſtianus Maccius de Port. Piſaur. lib. I. Cap. XII. *Dum terra effoderetur in media Civitate pro Alexandri Barignani Patricii Piſaurenſis fundamentis Ædium firmiter, & profunde jaciendis, ænea Bacchi Statua vitibus uvarum plenis CIRCUMAMBIENTIBUS fuit inventa, quæ etiam in præſentia in ampliſſimo Principis Armamentario integra conſervatur*. Certe, ut ſententiam noſtram illuſtri firmemus exemplo, in Arcâ Cedrinâ, quam in Templo Junonis Eliacæ lib. I. Eliacor. fuſe deſcribit Pauſanias, vitibus antrum veſtiebatur, in quo Bacchus jacebat. En Pauſaniæ verba ex Romuli Amaſæi verſione: *In antro Liber Pater jacet barbatulus, auream præferens pateram, talari amictus tunicâ: arbores antrum veſtiunt, vites aliæ, mali, & punicæ*. Fuit enim in more poſitum apud Veteres ut Bacchi, quem umbrarum, vitiumque amatorem fingebant, Simulacra vitibus, pampiniſque circumdarent. Hinc in Pompâ Dioniſiacâ Ptolomei Philadelphi Regis a Calixene Rhodio apud Athenæum lib. V. Cap. V. deſcriptâ, Dionifii Patris imagini decem cubitorum, quæ ſupra currum ferebatur, *circumponebatur Umbraculum hederâ, vite, reliquiſque arboribus ornatum, cui corona, vittæ, thyrſi, tympana, mitra, & comicæ, tragicæque, ac ſatyricæ perſonæ appendebantur*. Bacchi pariter Simulacrum vitibus circumdatum

Digitized by Google

tùm exhibetur in Gemmis 1. & 2. Tab. LXXXVIII. Tom. I. Muſæi Florent.

In Muſ. Florent. Tom. III. nuper edito duplici proſpectu tab. XLV. XLVI. perinſignis hæc Statua exhibetur. Ejuſdem Muſæi Illuſtrator eximius Antonius Franciſcus Gorius erudita, doctiſſimaque commentatione illam exornavit, quam ne quis Clariſſimi Viri labore fraudetur, integram hic damus.

*E Deorum numero quem referat hoc Signum aheneum, altitudine ad juſtam Juvenis ætatem expreſſum, meo quidem judicio haud facile dictu eſt. Toto corpore hic Deus* ἀγνωστος *nudus eſt, nullumque præfert inſigne ſeu ſymbolum, quod declaret an inter Deos majorum, vel minorum gentium vel* ἐντοπιος *recenſendus ſit. Dextro brachio, manuque extenſâ pateram geſtaſſe antiquitus arbitror; quo geſtu præſentia numina, ut in epiphaniis apparere ſolebant, expreſſit antiquitas, quo clarius Cultores intelligerent propitium eſſe Numen, & votis obſequens; paratumque ad libationes, quæ offerebantur, ſuſcipiendas. Siniſtrum brachium, & manum femori admovet. Oculi ejus inanes ſunt, in quibus gemmas inſertas fuiſſe veroſimile eſt, quæ poſtea vel furto una cum paterâ fortaſſis aureâ ſublatæ fuere Dionyſii Tyranni exemplo, vel temporum injuria periere. Baſi aheneæ ovalis figuræ inſiſtit, cui altera baſis, ſeu hypobaſis ex ære non rotunda, ſed quadrata ſubjecta eſt: hæc in his tabulis, quæ duplicem ejuſdem Signi proſpectum exhibent, utpote recentis operis prætermiſſa eſt; digna tamen, quæ in lucem prodiret propter opificii dignitatem, atque elegantiam, clariſſimumque artificis nomen: Nam fama eſt a præſtantiſſimo Laurentio Ghibertio Pictore, ac Sculptore Florentino adhuc juvene confectam fuiſſe. Solium eidem hypobaſi impoſitum in angulis ornatur capitibus arietinis; circa vero inferiorem coronidem, & anaglypha in utroque baſis latere expreſſa (quorum in dextro Cybeles Dea curru vecta circumludentibus Satyris, qui uvarum racemos gerunt; in lævo vero, Vir ducens hircum ad immolandum arreptis ejus cornibus, & Puella ſuper ardentem tripodem vinum e vaſculo effundens ſculpta eſt) circa tabulas in anticâ, & poſticâ ejuſdem hypobaſis conſtructas ad epigraphen exhibendam, ſerpit pampineus encarpus egregiâ arte elaboratus ad ſimilitudinem foliacei ſerti, ſeu corollæ, qua circumquaque exornantur aheneæ Valuæ poſitæ in majori, ac minoribus oſtiis Inſignis Baſilicæ Florentinæ S. Joannis, quas numquam ſatis laudare ſe poſſe ajebat Florentinus Praxiteles Michael Angelus Bonarrotius; quod opus ad æternitatem nominis ſui, ac Patriæ decus, idem Laurentius Ghibertius abſoluit. Hæc*

*Baſis*

Digitized by Google

*baſis jamdudum ab eo confecta olim cum hoc ſigno exſtabat in Muſæo Franciſci Mariæ Ducis Urbini literatorum hominum, atque præſtantium artificum æſtimatoris, fautoriſque maximi, cui idem Signum conſilio doctiſſimi Petri Bembi, qui in ſinum ejuſdem Principis glorioſiſſimi convolaverat, impoſitum fuiſſe ferunt; qui quum Apollinem (*) referre arbitraretur, in anticâ ejuſdem baſis tabulâ literis, ut videtur inargentatis, hanc epigraphen inſcripſit*

VT POTVI HVC

VENI

DELPHIS ET

FRATRE RELIC

TO

*In Regium Mediceum Theſaurum poſtea una cum ſigno translata eſt, quod fama Bacchum referre ubique vulgavit; idque non pauci ex noſtris, atque ex Viris exteris, qui Medicei Cimeliarthii antiquitates luſtrarunt, facile credidere. Addiſonius in deſcriptione ſui itineris, ut memorant, qui ejus librum mihi incognitum legerunt, mire torquet ingenium ſuum; nam ut mos eſt eorum, qui nimiâ celeritate antiqua opera contemplantur, pro DELPHIS, perperam excripſit MUSIS, quare Apollinis Signum cenſuit. Verum haud referre poſſe Apollinem coma ipſa capitis, quæ brevis eſt, manifeſte declarat: neque etiam Bacchum repræſentare adfirmabo; nam capilli ejus breviſſimi ſunt contra id quod de Apolline, & Baccho ait Tibullus lib. I. El. IV. v. 33.*

Solis æterna eſt Phæbo, Bacchoque juventa,
Nam decet intonſus crinis utrumque Deum.

*Ea igitur veriſimilior, virorumque doctorum calculo facilius adprobanda videtur opinio, hunc Deum ex illorum numero eſſe, quos Græci Επιϰάτες, Romani vero Deos PRÆSTITES, PRÆSIDES adpellarunt, de quibus Ovidius in Faſtis lib. V.*

Præſtitibus Maiæ Laribus venere Kalendæ,
Aram conſtitui, ſignaque parva Deum.

*Hi quoque DII TUTELARES apud Gruter. pag. I. 7. COM-MU-*

(*) *Falſum. Bembus enim ſic habebat perſuaſum, hoc Signo Bacchum, non Apollinem repræſentari. Vide ejus verba adducta ſupra pag. 5.*

Digitized by Google

*MUNES p. III. 9. PATERNI p. CVII. 3. PUBLICa p. CVI. 3. CONSENTES p. III. 3. item SALUTARES, ET CONSERVATORES Urbium vocati in antiquis aris inſcriptis p. LXVII. 9. XVIII. 3. præterea locorum, Urbium, familiarum, Exercitus GENII habiti, & tamquam ubique PRÆSENTES, & PROPITII magno honore culti p. XXXVII 11. item p. IIII. 9. 10. Cum his conjungendi ſunt DII GENITALES ita dicti, quod ab hominibus geniti crederentur, quorum ſit mentio apud Ennium lib. I. Annal., Ciceron. lib. I. Tuſcul., & de Orat., Servium in lib. VI. Æneid., Auſonium in Periocha IV. Æneid.; atque in antiquis Numiſmatum Inſcriptionibus. Vid. in Num. Sel. Criſpinæ Uxoris Commodi apud Oiſelium Tab. XLII. n. 4. Raritas hujus ſimulacri, quum ſit ex ære, nullâ indiget commendatione: quod adtinet ad artificii pretium, & gloriam, illud dixiſſe ſufficiat, cenſeri ab omnibus peritis abſolutiſſimum artis exemplar, nam ſtupendo modo exprimit mirum artis conſenſum cum naturæ veritate in corpore juvenis, omnium membrorum accuratiſſimâ ſymmetriâ, eximiâ pulchritudine, atque athletico ſucco, ac vigore inſignis.*

Profecto, quæ Vir doctiſſimus ſcripſit, ſolidâ eruditione referta ſunt; nihilque abeſt, quin exiſtimem eo Simulacro *Genium* Coloniæ Piſaurenſis expreſſum fuiſſe. Genii ſiquidem Coloniarum ſummâ religione colebantur; aras, templa, peculiaria ſacrificia habebant, ut innumeræ teſtantur veteres Inſcriptiones. Proinde rite Piſaurenſes GENIO COLONIÆ templum, in eoque pulcherrimum illud Signum ponere potuerunt. Neque vero repugnat, quod pampini, uvæque a Mancinio, & Maccio ſimulacrum circumambientes deſcribantur; eæ enim Genio Coloniæ Piſaurenſis apprime conveniunt, ſive Piſaurenſis agri ubertas ſpectetur, ſive optimi, egregiique vini, quod in eo gignitur, copia, quæ tanta fuit, ut olim una cum aliis Supernatis oræ vinis Romam a negotiantibus adueherentur veteri Inſcriptione teſte apud Reineſ. Cl. III. 88. Solebant enim Veteres Geniis ſymbola illius ſeu perſonæ, ſeu loci, cui Genius famulabatur, vel præſidebat, ut plurimum addere. Hinc Genii Dianæ tela habent in Dianæ Epheſiæ Statuâ Muſ. Flor. Tom. III. Tab. XX.: venabulum, & canem venaticum tenent eod Muſ. Tom. I. Tab. LXXVI. Gem. 4. 6.; Genii Herculis vel clavâ ludunt Tab. XXXVIII. Gem. 5. vel Leonis exuviis ſuperbiunt Tab. LXXV. Gem. 6.: Genius Mercurialis peram, & caduceum gerit: nudo



Digitized by Google

capite in ebore antiquo Muſæi Victorii apud Gorium pag. V. Columb. Liv. Aug. : alato capite in alio antiquo ebore Muſæi Carpinei apud Bonar. *Medagl. ant.* pag. 1.: Genius Bacchicus craterem, & phialam habet eod. Muſ. Florent. Tom. I. Tab. LXXV.: Gem. 3. Genius Martialis arma pertractat, trophæa inſtruit, ad bellum ſe parat, Tab. LXXIV. Gem. 9. Tab. LXXV. Gem. 1. 4. 5. 7. Sed ne ſingulos Genios Deorum adminiſtros perſequar, Genii Sepulchrales amphoræ cinerariæ inſident eod. Tom. I. Tab. LXXVII. Gem. 1. 3. 4.: Genius Theatri perſonam tragicam manu tenet Tab. XXXXIV. Gem. 7.: Genius Senatus togatus exhibetur in Nummis Divi Pii: Genius Exercitus Illyriciani ſigna militaria tenet in Nummis Decii. Ex his facile colligitur, Genio Piſaurenſis Coloniæ uvas recte tribui potuiſſe.

Tamen, ut verum fatear, majus pondus habet illorum ſententia, qui memoratum Simulacrum, Bacchum referre exiſtimant. Capilli quidem perbreves ſunt; verum haud multo longiorem comam habet Bacchus barbatus cum Ariadnâ Pantheræ inequitans in pulcherrimâ Gemmâ Muſ. Flor. Tom. II. Tab. VI.; breviſſimam, alterum Bacchi marmoreum Simulacrum, dextera manu cantharum tenens, ſiniſtra cornu potorium, cujus extremitas virile membrum exprimit, quod in ornatiſſimis Joannis Andreæ de Abatibus Oliveriis Equitis D. Stephani, Patruelis mei, Ædibus aſſervatur. Nudum eſt ſignum, nullâque in parte opertum; ita & Bacchus plerunque exhibetur; cauſſam ex Furnuto animadvertit Bonarrotius in explicatione Triumphi Bacchici poſt *Medagl. antich.* p. 440. Quid olim manu prætulerit incompertum eſt; at ſi pateram geſſit, quemadmodum Gorius ſuſpicatur, Baccho id etiam convenit; pateram enim auream gerebat Bacchus ille barbatulus, quem ex Pauſania ſuperius memoravimus. Verum quæſtionem omnem dirimere videtur marmorea Panthera (*) in proximis Ædibus Petri Gozzei paullo ante Bacchi Statuam reperta. Audiendus M. Antonius Gozzeus citato libro Hiſtoriæ Piſaurenſis. *Non lungi dalle dette ruine del Tempio, e della Statua di Bacco ſcoperti dal Barignani, erano ſtate pochi anni prima, cioè dell' anno 1512. ritrovate pur ſotterra tra un grandiſſimo miſcuglio di Ornamenti lateritii moltiſſime reliquie antiche di vaſtiſſimo edificio, mentre Pietro de' Gozze il vecchio, che portò la ſua fa-*

(*) *Viſitur hac penes Raimundum Santinellium, Metulæ Comitem, Virum amicitia mihi primum, mox Sanguine conjunctiſſimum.*

*famiglia da Rauſa à Peſaro, Avo di chi raccoglie queſte memorie, cercava di fondare ſotterra un ampia, (*) e magnifica habitazione à ſe ſteſſo, et à ſuoi poſteri, della qual materia dicono ſi ſerviſſe nella ſua fabbrica con molta commodità, ed utile. Eravi tra dette ruine una quantità di frammenti di marmo bianco, capitelli di ordine Corintio, baſi tutte di marmo; Due lucerne vi ſi truovarono di bronzo, molte di terra cotta, un collare (**) con alcuni nodi di metallo, che ancora ſi ſerbano in caſa de ſuoi Nipoti; Ma ſopra tutte le coſe vi fù trovata una Pantera ſcolpita, e rilevata in marmo, con mirabile artificio lavorata, mà però ſenza capo, nella quale non fù minore l'arte dello Scultore, che le ſeppe dare una proportionatiſſima attitudine, e ſimmetria nel lavoro, che il giudizio ſuo eſquiſito, col quale eleſſe il marmo molto ben aggiuſtato alla natura della pelle di queſta fiera. Queſto marmo è cenerino oſcuro, granito, o migliato minutiſſimamente di bianco, ſimile in queſta parte al porfido, mà poi con alcune macchie candide, et albicanti, diſtinte, e ſchiette della grandezza dell' unghia del pollice, ſparſe con giuſta diſtanza per tutto il doſſo dell' animale, in modo che niun Pittore coi Colori avrebbe potuto, o ſaputo ritrar la Pantera meglio al ſuo naturale.* Jam vero nemo eſt, qui neſciat Pantheram Baccho ſacram fuiſſe, adeout Philoſtratus Imag. I. Pantheram Bacchi συμβολον appellaverit, & Herodot. lib. VII. Cap. 74. ad Bacchi pedes Pantheriſcum aſſidentem pinxerit.

## I V.

EXſtat Inſcriptio in Plateâ S. Arcangeli, columnamque Numidici marmoris ſuſtinet, quæ olim e Turri Campanariâ Cathedralis Eccleſiæ a militibus Ducis Valentini tormentis bellicis dejecta, ad illius tandem trivii ornamentum

 poſita

(*) *Ædes quas tunc exſtruxit Gozzeus, ea ſunt, quas nunc partim Petrus Gallius, partim Eques Joannes Andreas de Abatibus Oliverius poſſident. Id notandum duxi, ne quis alias Ædes noſtra ætate a poſtremis Gozzeis habitatas intelligat.*

(**) *Collare illud, Panthera ejuſdem ornamentum fuiſſe arbitror. In Collo certe illius Pantheræ depreſſius marmor ducitur, ita ut aliquo ornamento conſpicuum olim fuiſſe appareat. Porro Bacchicas iſtas Pantheras collaribus ornari ſolitas fuiſſe ſi quis dubitat, adeat Muſæum Florentin. Tom. I. Tabula XCI. Gem. 6. Tom. II. Tab. VI. Tom. III. Tab. LVI., & Philoſtrat. de Vita Apollon. lib. II. cap. I., ubi narrat in Pamphilia inventam fuiſſe Pantheram juxta Bacchi Statuam cum torque aureo, & literis Armeniis* REX ARSACES DEO NYSAEO.

Digitized by Google

poſita fuit. Vulgavit illam ex Smetio Gruterus p. XLV. 2. Meminerat & Æmilius Mancinius in Præfat. ad Statuta Piſaurenſia. En ejus verba: *Dumque juxta Portam, quam Fanenſem vocamus, lapides quidam evellerentur, inventi ſunt aliqui marmorei, quos vulgo* Pedeſtalli *dicunt, ſupra quos, ut ex veſtigiis videre licet, Statuæ aneæ ſtabant, in quorum uno pes aneus adhuc eſt, qui altitudinem rei demonſtrat, Inſcriptionemque ejus formalem hic appoſuiſſe non piget* C. LVXILIO *&c. Supra alium autem marmoreum, & ornatum lapidem erat calceus aneus deauratus, & vittâ quadam circumdatus, magnitudinem facti denotans, cui talis erat Inſcriptio VICTORIAE AETERNAE &c. Alterius etiam, cui equeſtris Statua inſidebat, ut ex pede equi ænei, & alius veſtigio videri poteſt, Inſcriptionem non tacebo HERCVLI AVG. &c.* Sebaſtianus quoque Maccius de Portu Piſaur. lib. I. cap. XII., Piſaurum Rempublicam fuiſſe probare contendens, de hac Inſcriptione ita diſſerit: *Hujuſce rei ampliſſimum habemus teſtimonium nobiliſſimi, atque perantiqui marmoris, quod in præſentiâ, ſummâ curâ aſſervatur apud Piſaurenſes in Atrio Ædium Ducalium hoc exemplo HERCVLI &c. fuit autem cippus ſeu baſis aneæ Statuæ, eſtque admodum magnus, ac grandis; repertus autem fuit An. Sal. Hum. MCDLXXIV. dum eruerentur Arcis fundamenta. Statua vero, quæ in eo fuerat erecta, erat equeſtris, atque anea, ut ex pede aneo equi, qui etiam deauratus eſt, videri poteſt, qui in ſummo eidem cippo erat affixus . . . . . Exſtat & alter lapis in atrio Ædium Ducalium in quo pariter Piſaurum appellatur Reſpublica. Hujus quoque ampliſſima eſt Inſcriptio, atque ita ſe habet VICTORIAE &c. . . . . . . Hæc quoque baſis inventa fuit anno Sal. Hum. MDXXX. in antiquis Civitatis mænibus juxta Portam Faneſtrem, ubi erat Arcus Triumphalis: ſupra baſim erat equus locatus cum tribus pedibus, juventuſque fuit pes equi auratus; Hic vero equus creditus eſt fuiſſe Aureliani Imperatoris, ſupraque ipſum idem Aurelianus inſediſſe cognoſcitur ex eadem Inſcriptione . . . . Exſtat & tertium teſtimonium luculentiſſimum pariter & ampliſſimum pervetuſti lapidis apud Piſaurenſes hoc modo C. LVXILIO &c. Aſſervatur in Hortis Ducalibus, & eſt baſis Statuæ ſex pedibus alta: inventa fuit annis elapſis ſub antiquis mænibus Civitatis prope Portam Faneſtrem. In ipſâ baſi repertus fuit pes aneus cum eâdem Inſcriptione.* Effoſſa igitur fuit A. D. MCCCCLXXIV. dum Conſtantius Alex. F. Sfortia, Piſauri Dominus, antiqui lateritii Thea-

Theatri rudera pene omnia, ipſaque vetuſta Urbis mænia di-rueret, ut locum, materiamq; Caſtello Conſtantio pararet. Effoſſa, inquam, fuit eodem plane loco, quo Anno MDXXX, quum novis mænibus Urbs a Duce Franciſco Maria I. cingeretur, Inſcriptiones aliæ, quæ n. XXII. XXVIII. XXXVI. collocantur, erutæ ſunt inter ingentia columnarum, epiſtyliorum, aliorumq; ornamentorum fragmenta, quorum plura Hieronymus Arditius, antiquarum rerum amantiſſimus, paucos poſt annos domum ſuam transferenda curavit, ut ipſemet in iis, quas laudavi, MSS. annotationibus teſtatur. Supereſt etiamnum fragmentum Sacrificii, ut ex ariete ad aram ſtante conſtat, anaglypho opere inſculptum, ſed turpiter deformatum fædo uſui inſervit

*Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas.*

Ex quibus omnibus eruditi Viri, qui tunc diligenti inſpectione omnia perveſtigarunt, arcum ibi triumphalem Aureliano a Republica Piſaurenſi erectum fuiſſe pronunciarunt, ad cujus latera baſes cum hac Inſcriptione, & aliâ n. XXII. ornamenti gratiâ ſtatutas, in faſtigio vero equeſtrem Aureliani Statuam ex ære ſtetiſſe: idq; in omnibus Piſaurenſium rerum Scriptoribus celebre eſt, & vulgatum. Sed, ut ingenue dicam quod ſentio, tam certum puto ibi aliquem arcum fuiſſe, tum quia doctis, & oculatis teſtibus fidem penitus abrogare nefas ducerem, tum etiam quia ex iis, quæ ſuperſunt adhuc, fragmentis manifeſte id evincitur: quam incertum, imo falſum, arcum illum Aureliano fuiſſe excitatum; non modo enim nullam hujus ſententiæ ſatis probabilem rationem afferunt memorati Scriptores, verum etiam elegantioris operis ſunt fragmenta, quæ vidi, quam quæ Aureliani ævo conveniant. Præterea fragmentum Inſcriptionis n. XXVI., quod in fronte Arcus olim ſtetiſſe putaverim, prægrandibus literis, optimo charactere inſculptum, Aurelianum ſatis, ſuperq; excludit. Neque duæ hæ baſes Aureliano dicatæ, ullam citatæ ſententiæ opem ferunt; Certiſſimum eſt enim, eas a veteri loco, in eum, in quo repertæ ſunt, tumultuario opere aſportatas fuiſſe, quum muro infixas, & cum diſſimillimis rebus conglutinatas detexerint foſſores: ex quo tempus quoque cognoſcere datum eſt, quo id accidit, nempe quum Beliſarius devaſtata a Wittige Piſauri mænia, reparari volens, juſſit Sabiniano, & Thorimunto Protectoribus ſuis ut *murorum ruinas omnes, quomodocunque poſſent, reſtaurarent, injectis lapidibus, luto,*

*to, & ſi quid eſſet aliud. Hae illi accurarunt*, inquit Procopius lib. III. Cap. XI. de Bell. Goth. Quod & ipſe Æmilius Mancinius in laudatâ Præfatione adnotavit: *Et ne omnia*, inquit, *deſcribendo prolixior ſim, P. C., omiſſa facio his proximis diebus cum inventa, tum reperta, quæ multos vidiſſe juvit, & quæ, non ut antiquorum memoria deleretur a Beliſario Juſtiniani Glorioſiſſimi, ac Religioſiſſimi Imperatoris Duce, id enim brevius feciſſet, ſed, ut Civitatem noſtram a Gothis dirutam inſtauraret, poſita fuiſſe credendum eſt.* Et Sebaſtianus Maccius de Port. Piſ. lib. I. Cap. XV. *Et licet potior earum pars perierit, ſepultaque fuerit a Beliſario in reficiendis Civitatis mænibus, tamen multa adhuc exſtant, & ſummam nobilitatem, ac dignitatem ſecum ferunt;* locupletes ita teſtes ſe exhibentes Piſaurenſia Marmora, maximam partem, dum antiqua Civitatis mænia diruerentur, reperta fuiſſe; quod & ipſe diligenter locis, in quibus effoſſa fuerunt, conſideratis, veriſſimum eſſe deprehendi. Porro arcum illum, quem longe Aureliano antiquiorem oſtendi, quantum conjecturâ aſſequi poſſum, veterem Urbis Portam fuiſſe mihi perſuadeo, ut de arcubus Ariminenſi, & Fanenſi compertum eſt. Sed, ut ad Inſcriptiones redeam, manifeſtum eſt duas iſtas, hanc nempe, & aliam n. XXII. eodem tempore Aureliano dicatas, quum eodem C. Julio Priſciano Curam Agente conſtitutæ fuerint. Quando autem id acciderit, in notis ad alteram Inſcriptionem inquiremus.

HERCVLI AVG. In nummis, & lapidibus paſſim occurrunt numina Auguſti titulo inſignita: *Apollo Auguſtus* apud Grut. pag. XXXVI. 7. 8. 9. MLXVI. 5., & apud Reines. Cl. I. 44. VI. 67. & alibi. Imo ipſe *Hercules* in Grut. p. MLXIX. 11. Reines Cl. III. 28. Don. Cl. I. 103., & in nummis Commodi; Quandoque etiam Gentilitio Imperatoris nomine conſpicua: ita *Juppiter O. M. Trajanus* Grut. p. IV. 4. XI. 3. *Sol Alagabalus* p. XXXII. 12. *Fortuna Flavia* p. LXXV. 5. Reineſius Cl. I. 44. putat *ideo additum titulum Auguſti, quod adularentur ſummas Poteſtates, quas Diis æquabant, & quum his ſupplicare videri vellent, ſimul Auguſtos ſuorum temporum adorarent;* quod ſe non abſolute negare profitetur Fabrettus de Col. Trajan. Cap. VIII. Factum id etiam fortaſſe, quod in illorum Numinum tutelâ eſſent Imperatores, eaq; præcipuo cultu proſequerentur. Neque mirum ſi ab Auguſtis, quos tutabantur, Auguſtum nomen Dii mutuati ſint, quum a privatis quoq; & infimis hominibus nomina ac-

cepiſſe

cepiſſe illos teſtetur Cl. Fabrettus, pluribuſq; exemplis confirmet in Syntagm. de Col. Trajan. Cap. VIII. p. 247., quibus ſexcenta alia, ſi operæ pretium eſſet, adjungere poſſemus.

CONSORTI. Novum id, & inauditum Deos in Conſortium Imperii ab Auguſtis adſcitos. Equidem Dii *Comites* Auguſtorum, & in Inſcriptionibus occurrunt, & in Nummis. Conſortes tamen Imperii vocatos, nemo, quod ſciam adhuc prodidit. Primum id ab Aureliano factum ex hoc noſtro lapide animadvertit Emũs Baronius ad A. Ch. CCLXXIII. n. 2.

INVICTI. Invicti nomine ſæpenumero Aurelianus inſignitur, ut doctiſſimus Bandurius teſtatur, qui in notis ad nummos ejuſdem aureos hanc Inſcriptionem cum pluribus aliis adducit.

RESP. PIS. Reſpublica dicitur Piſaurum in hac Inſcriptione, aliiſq; n. XXII. XXXVI. Errant tamen vehementer ii, qui ex hoc Reipublicæ titulo, Piſaurum ſupra reliquas Italiæ Civitates extollere nituntur, & bella indicta, paces compoſitas, leges latas, Populos in ſervitutem redactos ex eo ſomniant. Reſpublica Piſaurenſis nil aliud ſignificat, niſi Commune, ſeu Communitas Piſaurenſis, ut uſitato hodie vocabulo utar. Rectè igitur Coloniæ æque, ac Municipia ita appellantur; En exempla in aliis Coloniis, *Aſculo* ſcilicet apud Grut. p. CCCLXXXI. 1. CDXXVII. 1. *Auximo* p. CCCCLXV. 4., *Recinia* p. CDXLVI. 9. *Veronâ* p. XCVII. 11. MCII. 7. plura vide in Indice Gruteriano Cap. X. Omnium vero luculentiſſimum habemus in Inſcriptione antiquâ a Gualtherio primum, mox aReineſio editâ Cl. III. 28.

HEL. AVG

RESP. COL. HEL.

AVG LILYBET &c.

ſimile peti poteſt ex Collect. Don. Cl. V. 14.: ibi *L. Alfius* CVR. REIP. COL. CASINATIVM dicitur. Hinc Siculus Flaccus de Condit. Agror. ſubſecivos agros *Reipublicæ Coloniarum* conceſſos eſſe ſcribit; atque ita ſemper Agrariæ Rei Auctores; quin etiam in ipſis Collegiis Reſpublicas invenimus: teſtis Vetus Inſcriptio in Grut. p. CLXXV. 4. HOC AMPLIVS ARK. REIP. COLLEGII SS DONVM DEDIT.

CVRA

Digitized by Google

CVRA AGENTE. Eruditus Comes Camillus de Silveſtris in expoſitione Tergeſtinæ Inſcriptionis, Venetiis a P. Calogera Tom. VII. Opuſculorum editâ, de hujus literæ omiſſione diſſeruit. Verum purum putum marmorarii errorem eſſe vel ex eo deprehenditur, quod in alterâ Inſcriptione XXII. recte ſcribatur CVRAM AGENTE

C. IVLIO PRISCIANO. C. hunc Julium Priſcianum filium fuiſſe alterius C. Julii Priſciani, qui habetur in Grut. p. CLXIX. n. 7. ex Gudii annotatione ſtatuitur ead. p. CLXIX. 7. & p. CCLXVI. 3. repet. edit. Quâ ratione id adſtruat Gudius, me non aſſequi ultro profiteor.

V. E. Pighius ad alteram Inſcriptionem XXII. pag. CCLXXVI. 3. ejuſdem Grut. edit. interpretatur *Viro Excellentiſſimo*. Rectius Reineſ. Cl. VIII. 39. exponit *Viro Egregio*; Egregiatus enim Ducenariæ dignitati jungitur expreſſe in l. 3. de Cohortal. Cod. Theod.

DVC. CVR. Ut recte explicetur Inſcriptio, duo hic intelligenda eſſe C. Priſciani munera: unum Ducenarii cum Egregiatu, alterum Curatoris Rerumpublicarum Piſaurenſis, & Faneſtris, monuit olim Vir Cl., & a me ſæpe laudandus, Pompejus Compagnonius. Id vero vel ex eo maxime evincitur, quod hoc eodem munere Curatoris Rerumpublicarum Piſaurenſis, & Faneſtris inſignis occurrat n. XXXVI. C. Luxilius Proculus, nec Ducenarius tamen dicatur.

Quid autem Ducena hæc fuerit, quâ C. Priſcianus inſignis occurrit, neque enim militarem eam fuiſſe exiſtimo, haud facile eſt ſtatuere. Illud tuto dicere poſſumus, Ducenam, quâ qui potiretur, Ducenarius dicebatur, apud Romanos magno in honore habitam; hinc eâ Monetariis interdicitur in l. 1. C. Theod. de Murileg. *Monetariis*, inquit ibi Conſtantinus, *nec dignitas Perfectiſſimatus tribuitur, nec Ducenæ, vel Centena, vel Egregiatus*. Turnebus Adverſar. lib. XXXIX. cap. 16. Ducenarios inde dictos exiſtimavit, quod Ducenteſimæ Vectigal exegerint. Ejus ſententiam improbat Salmaſius in Capitolin. Pertinac. Cap. 2., & nominis originem a ſtipendii numero ex Dione lib. LIII. repetit, quod nempe ducena Seſtertia ſtipendii nomine acciperent. Equidem ſi Latinæ linguæ vis perpendatur, nimium differunt Ducenarius, & Ducenteſimarius. Tributa tamen a Ducenariis exacta fuiſſe, docet idem Conſtantinus in l. 1. C. de exaction. Tribut. Ait ibi: *Ducenarii & Centenarii, ſive Sexagenarii non prius debent aliquem*

ex

Digitized by Google

*ex debitoribus convenire , quam a tabulario Civitatis nominatim breves accipiant debitorum ; quam quidem exactionem ſine omni fieri concuſſione oportet ;* & Reineſius animadvertit Cl. VIII. 39., qui tamen Gruterianam Inſcriptionem p. CCCCXXXIV. 3. adeo torquet, ut ex PROCuratore AVGuſti PROVinciæ BAETICæ AD DVCENteſimam ACCIPIENdam , ſive, ut explicat Salmaſius, AD DVCENa ſeſtertia . ſtipendii nomine ACCIPIENda , fecerit ADjutorem DVCenarii A CENſibus ACCIPIENdis . Procuratorem Principis *Ducenaria perfunctum* memorat Apulejus Metam. lib. VII. *Procuratoribus Ducenariis Ornamenta Conſularia* , Claudium indulſiſſe ſcribit Sveton. in Claud. Cap. 24. De Ducenariis V. Reineſ., & Salmaſ. l. l. Panciroll. Notit. dignit. Imp. Orient. Cap. XX. Sexagenarii , qui in eâ lege Conſtantini, quam modo exſcripſimus , Ducenariis junguntur , nuſquam in antiquis Inſcriptionibus , quod ſciam, occurrebant ; Vetus tamen Marmor Anno 1731. Romæ Villâ Caſaliâ in Monte Cælio erutum IVN SEPTIM. VERVm HERMOGENEm SEXAGENARIA PROCVRATIONE ORNATVm protulit, quod integrum Vide Not. XXXVI.

CVR R . P . De Curatoris Reipublicæ officio cumulate Pancirol. Cap. XI. de Magiſtr. Municip., & Cl. Archiepiſcopus Fontaninus, nuper acerbo fato ereptus, lib. I. Cap. III. Antiquit. Hortan., qui ideo ipſis Curantibus , ſeu Curam Agentibus Inſcriptiones dicari animadvertit, quod ad eos quoque de pecuniis, & operibus publicis pertineret.

R . P . PIS . ET . FAN . Nil mirum , quod duarum Urbium Curator fuerit Priſcianus ; poterat enim propter ſummam earumdem vicinitatem utriuſq: res commode adminiſtrare.

P . M . Hæc eſt germana lectio a me ex ipſo marmore excepta . Errant Baronius , Bandurius , aliique , qui PIN. ediderunt.

Folia interpunctionis loco adhibentur in hâc Inſcriptione , & aliis n. XXII-XXXVIIII. Hoſce Quadratariorum luſus illuſtrarunt Reineſ. in Præfat. p. 7. ; Fabrettus Inſcr. Dom. Cap. III. p. 118. , & eruditiſſimus Author Commentarii in Inſcriptionem S. Severæ Martyris S. VIII.

V.

EXſtabat apud Nob. Co. de Hondedeis

P . PISAVRIVS . COL . LIB . ACHILLAS . Recte Cl. Fabrettus Inſc. Dom. Cap. VI. n. 17. interpretatur: *Publius* PISAVR*ius* COL*oniæ* LIB*ertus*, Achillam hunc, ſervum publicum antea fuiſſe docens, deinde publice manumiſſum Coloniæ nomen aſſumpſiſſe: multiſque rem obſcuram pro eâ, quâ pollebat, eruditione, & doctrinâ confirmat exemplis.

V I.

IN Columellâ. Vulgavit Fabrettus Inſc. Dom. Cap. IX. n. 285.

NASVLEI. Hoc eſt Naſuleii uxor, ita enim in vetuſtis Inſcriptionibus viri denotantur, quod & ad Inſcriptionem XXXII. obſervabimus, & luculenter probat Fabrettus Inſcr. Dom. Cap. I. ad calcem.

BONAE DEAE. Cæterorum Numinum, quæ coluerunt Piſaurenſes, cenſui accedat ex hoc marmore Bona Dea.

V I I.

PEriiſſe hanc Inſcriptionem credideram, quum ex inſperato nunciatur exſtare adhuc in Caſtro Farneti Piſaurenſis Diœceſeos.

P . SER . Diu multumque mecum dubitavi, an ita legeretur in marmore, ſeu potius deſcriptoris oſcitantiâ Verſennii prænomen P. poſtpoſitum nomini fuiſſet. Sed is, qui Inſcriptionem etiamnum ſupereſſe edocuit, ita in marmore perſpicue legi autumat. Eas ergo notas ita explicandas cenſeo P*rocurator* SER*vus*, is nempe, qui Verſenii prædia procuraret; neque enim alia ſatis probabilis interpretatio occurrit.

PRIAPVM . ET . TEMPLVM . Recte, & merito Fauſtus excitato Templo ſibi devinxit, quem vigilem ſuorum Prædiorum Cuſtodem exoptabat.

TEMPLVM . Vides hic ſervilem ambitionem; Sacellum fortaſſe extruxerat, Templum vocat. Ita Perſpectus in elegantiſſimo Veteri Epigrammate Templa Priapo ſe dicare autumat. Integrum recitare non piget.

*Vilicus ærari quondam, nunc pauperis horti,*
*Hæc tibi Perſpectus Templa, Priape, dico.*

Pro

Digitized by Google

*Pro quibus officiis, ſi fas eſt, Sancte, paciſcor,*
*Aſſiduus cuſtos ruris ut eſſe velis;*
*Improbus ut ſi quis noſtrum violaret agellum,*
*Hunc Tu ..., ſed taceo: ſcis puto, quod ſequitur.*

Hoc autem Templum, Fauſtum exſtruxiſſe, non Piſauri, ſed in ipſis Verſenii prædiis, quæ circa dictum Caſtrum fuerint, libens ſtatuo: ibi enim Inſcriptionem repertam fuiſſe non dubito, quum adhuc antiquis Caſtri mœnibus infixa ſit.

D . S . PECVL . Peculio . Elegantiſſime . Optimæ Gloſſæ ad Plautum: *Peculium Poſſeſſio ejus, qui eſt in alienâ Poteſtate, filii familias, vel ſervi.*

## VIII.

EXſtat in Epiſtylio effoſſo Anno D. 1512. In collectione M. Antonii de Gozze ita notatur: *Monumentum hoc cum ſequenti* [ n. LXV. ] *Petrus de Gozze Anno Domini* 1512. *dum ſuas in Civitate conſtrueret Ædes juxta Portam Ravennatem, ubi nunc eſt Platea, quæ dicitur Parva, inter antiquorum Civitatis murorum ruinas reperit: filii vero Petrus Junior, & Paulus, Conſulibus, ut in Atrio dictæ Domus* (verius Porticu Palatii) *juxta Carceres, ubi nunc ſitum eſt, reponeretur, conceſſerunt*. Vulgavit Gruterus pag. MXIX. 5.; iterum, increpato Gutero, quaſi mutilam edidiſſet, Fabrettus dedit de Col. Trajan. Cap. II. p. 38., & rurſus Inſcr. Dom. Cap. X. n. 51. tribus verſibus auctiorem, qui tamen integram aliam Inſcriptionem conſtituunt n. XVIIII. a nobis collocatam, quæ huic arctiſſime juncta, parieti infixa eſt, ut ſi una eſſet Inſcriptio, fucum doctis Viris factura. In eum errorem ipſe quoque, auctoritate Fabretti ductus, prolapſus primo fueram; verum quum poſtea characterum diverſitatem diligentius obſervaſſem, vidiſſemque, inferiora multo eſſe rudiora; ſuſpicari cœpi, quod res erat, duas (*) eſſe Inſcriptiones, hanc dimidiatam, integram alteram, ſimul conglutinatas, & colore in commiſſurâ continuatas. Prodiit iterum hæc Inſcriptio in Collectione Gudianâ pag. LXV. 11. cum hoc titulo. *Prope Salmonam in fragmento*; Id vero eo animadvertendum cenſui, ut cuivis pateat, quam valde in locis, ubi Inſcriptiones exſtant, deſcribendis, errent viri cæterum diligentiſſimi.

VALVAS præcipue dictas fuiſſe eas, quibus Templorum aditus



(*) *Sed longe antea unam ab alia probe ſejunxerat Gozzeus in ſua Collectione.*

Digitized by Google

tus muniti erant, docet Cicero lib. I. de Divinat. *In Templo Herculis, Valvæ clauſæ repagulis, ſubito ſe ſe aperuerunt*, & Verrin. IV. 43., ubi de militibus Verris, qui, impetu in Ædem Herculis Agrigentini facto, Signum demoliebantur: *poſtea convulſis repagulis, effractiſque Valvis, demoliri Signum, ac vectibus labefactare conantur*.

SIGNA. Statuas inter, & Signa, plurimum intereſſe notavit Vir doctiſſimus Alexius Simmachus Mazochius in Mutil. Campan. Amphitheatr. tit. Cap. 3. not. 60. *quod hæc ferme Deorum tantum eſſent, aut certe Diis dedicatorum, illa interdum quidem Deorum, ſæpiſſime tamen hominum*. Luculentiſſima eſt Inſcriptio in Gruter. p. CLXXIV. 8. in eâ IVNIA . D . F . RVSTICA . SIGNVM AEREVM MARTIS feciſſe dicitur, & SIGNum CVPIDINIS.... ET STATVAS SIBI . ET . C . FABIO . IVNIANO . F . SVO . Aliter ſenſerat Manutius Diſs. IX. de Sign., & Statuâ Tom. I. Antiq. Rom. Sallengre. Utcumq; ſit, recte in noſtrâ Inſcriptione SIGNA dicuntur, & quia Deorum ſimulacra erant, & quia in templo ſtabant.

DEORVM AVGV.... Ad hujus Inſcriptionis interpretationem, facem mihi præfert Jacobus Sponius Miſcellan. Sect. II. artic. XI. Exponens ibi lapidem Barberinum, in quo habetur: EX DECRETO VNIVERSORVM QVOD GESTVM EST IN TEMPLO DIVORVM IN AEDE DIVI TITI, hæc notat: *Puto eſſe Templum defunctis Auguſtis dicatum, quod initio Romæ, & Auguſti tantum, at ſequentibus Imperatoribus defunctis, Templum Divorum dictum fuit, iis inter Divos relatis, qui boni Principes viſi fuerant: in eoq: erecta ſingulis Ædicula, ut hæc Divi Titi Ædes, ubi conveniebant nonnumquam Sodales Collegii Æſculapii, & Hygiæ*. Præclare Sponius, ſed ejus ſententia uberius eſt explicanda. Primum conſtat Auguſtum, fuſo Sex. Pompejo, Lepidoq: exauctorato, ut tradit Appianus lib. 5. Civil. p. 746. *oppidatim inter Deos Tutelares conſecratum* fuiſſe; deinde vero, ſuperato apud Actium Antonio, Templa eidem ubique ſtatuta, quæ, ut ait Sveton. in Aug. cap. 52. *quamvis ſciret etiam Proconſulibus decerni ſolere, in nullâ tamen Provinciâ niſi communi ſuo, Romæq: nomine recepit*. Horum quidem Templorum, Auguſtalium ordinem, Romæ primum Anno U. C. DCCLXVII. ad colendam Auguſti memoriam, ut ex Tacito conſtat, a Tiberio inſtitutum, ac deinde per omnes late Colonias certatim amplificatum, curam geſſiſſe exiſtimo, quamvis ſuus eſſet Sacerdos, ſuuſ-

Digitized by Google

ſuuſque Flamen, qui ſacris ibidem operarentur, qui in Inſcriptionibus identidem occurrunt, SACERDOS ROM. ET AVG— SACERDOS PERP. ROM. ET AVG—FLAMEN ROMAE ET AVG. Hos porro Auguſtalium cœtui aliquando connumeratos prodit Inſcriptio vetus Gruter. p. CCXXXVII. 1.; Temporis vero decurſu aliis Imperatoribus inter Deos relatis, auctoque hoc Indigetum Deorum penu, nomen Templis illis immutatum. Occurrit in Grut. p. CCCXX. 8. *Sacerdos* AD TEMPLVM ROMAE. ET AVGVSTORVM, & FLAMEN ROM. ET DIVORVM AVGVSTORVM ita pag. CCCXX. 1. 2. & ſeqq. CCCLXXVIII. 1. Demum Romæ nomine oblivioni dato, quemadmodum Flamines dicti ſunt FLAMINES DIVORVM AVGVSTORVM pag. CCCV. 8. CCCXXI. 10. CCCLI. 5. vel FLAMINES AVGG. *Auguſtorum*, ſimpliciter pag. XXIX. 12., quam Inſcriptionem rectius explicaſſet Emus Noriſius Cœnot. Piſ. diſſ. I. cap. 4., ſi C. Batonii Primi cognomen agnoviſſet, nec ad tempus inaugurationis retuliſſet; ita & (*) *Templa DIVORVM Auguſtorum*, vel *Templa DIVORVM*, ut luculentiſſime habetur in laudato lapide Barberino, cui alium addere poſſumus ex Gruter. pag. CCXIV. in quo Decuriones Cærites IN TEMPLO DIVORVM congregantur. Quæ huc uſque deduximus, mirifice firmantur ex Vopiſci loco, quem an Sponius in mente habuerit, haud ſcio; ait ille in vitâ Taciti: *DIVORVM TEMPLVM fieri juſſit, in quo eſſent Statuæ Principum bonorum, ita ut iiſdem Natalibus ſuis, Parilibus, Kalendis Januariis, & Votis, libamina ponerentur.*

Verum ſententiam noſtram non labefactare ſolum ſed evertere penitus videtur doctiſſimus Scriptor Ezechiel Spanhemius diſſ. V. de Præſt. & Uſu Numiſ. pag. 419. Edit. 2. Amſtæl. qui *Divi*, non *Dei*, nomen conſecratis olim Auguſtis, perpetuâ quâdam obſervatione, tributum in Romanis monumentis, conſtare ſibi ſcribit; adeo ut, qui vivi adhuc privatâ ambitione *Dii* vocati ſint, poſt mortem demum publicâ auctoritate *Divi* appellarentur; tamen conceptam antea ſententiam ejurare haud neceſſarium mihi viſum eſt, eamque facile tueri me poſſe non diffido. Id ut aſſequar, illud in primis adnotandum duxi, apud Romanos promiſcue has voces uſurpatas fuiſſe, ſecus,

(*) *Id porro Romæ Templum NOVUM appellatum primo fuiſſe, ſuſpicari ſuadet Inſcriptio Grut. pag. CXVIII. in qua Fratres Arvales IN TEMPLO NOVO DIVO AVG. B. MARES. II. DIVAE AVG. VACCAS. II. DIVO CLAVDIO B. MARES. II. ſacrificare decernunt.*

cus, quam illarum vis (*) ferebat. Cicero locuples eſt teſtis lib. II. de Leg. cap. 8. *Ad Divos caſte adeunto:* paulo poſt: *Divos, & eos, qui cœleſtes ſemper habiti, colunto, & ollos, quos endo Cœlo merita vocaverint:* mox: *Quaque, quoique Divo grata ſint hoſtiæ, providento, Diviſque, aliis Sacerdotes, omnibus Pontifices, ſingulis Flamines ſunto.* & cap. 9. *quibus Divis creverint:* deinde: *eamque cum Divum honore jungunto.* Ac quamquam Cicero, ut ipſemet teſtatur, leges has legum voce propoſuerit, hoc eſt verbis paullo antiquioribus, quam communis ſermo eſſet, quo plus auctoritatis haberent, tamen ſuâ etiam ætate *Divos* pro *Deos* dici conſueviſſe, inde intelligere poſſumus, quod idem Cicero ita alibi loquatur de Nat. Deor. lib. II. c. 2.: *Sed quod præſentiam ſæpe ſuam Divi declarant;* ne Poetas Ennium, Lucretium, Catullum, Virgilium, aut poſteriores alios, in partes traham. . . . .

Hoc itaque poſito, facile intelligitur, quamobrem Imperatores ſeu viventes privatâ adulatione, ſeu defuncti publica auctoritate, *Divi*, & *Dii* appellati ſint: quum enim vulgo hæ voces ſine diſcrimine uſurparentur, adulatores non gravate Cæſaribus auguſtius nomen detulerunt. Inde ara Veronæ DEO AVGVSTO, eodem, ut arbitror, vitâ functo, poſita, quæ bis in Grutero occurrit pag. XVII. 11. LXXXVIII. 11.: inde Coloniæ Tarraconenſis nummi, cum epigraphe DEO AVGVSTO, poſt illius obitum indubie percuſſi. Quid jam Græca numiſmata commemorem, aut Grecos Scriptores, qui licet vocem Ἥρως haberent, qua conſecrati, (**) ſeu per Apotheoſin in Deorum numerum relati appellabantur, defunctos tamen Auguſtos, omnes fere, Θεοὺς dixerunt? Ac, ut a Grecis, & a Coloniis recedamus, quarum monumenta haud idonea eſſe idem Spanhemius cenſuit, ad id profecto, quod intendimus, confirmandum ſatis eſſe poteſt communis ipſe ſermo Romanorum, qui *Divos* Auguſtos, frequentiſſime *Deos* dicebant: hinc *in Deorum numerum relati* dicuntur Sveton. in Jul. cap. 88. in Claud. cap. 35. *in Deos*, ſeu *inter Deos referri* Sveton. in Aug. (***) cap. 97. Capitolin in Pertin. Spar-

(*) *Docuit enim Servius* Deos æternos, *dici*, Divos vero, qui ex hominibus fiunt.

(**) *Ita in rariſſimo, ac ſingulari nummo ab Antonio Gallandio Smyrnæ inſpecto inſcribitur Hadrianus* ΗΡΩΑ . ΑΔΡΙΑΝΟΝ, *quemadmodum ipſe teſtatur in diſſert. de Num. Pantheo pag. 26., & inde Vignolius de Columna Antonini Pii Cap. V.*

(***) *Ita ad rem facit iſte Suetonii locus, ut omnino deſcribi mereatur.* Sub idem tempus ictu fulminis ex Inſcriptione Statuæ ejus, prima nominis litera effluxit: reſponſum eſt centum ſolos dies poſthac victurum, quem numerum C litera notaret, futurumque, ut inter Deos referretur, quod æſar, ideſt reliqua pars ex Cæſaris nomine Etruſca lingua Deus vocaretur.

Spartian. in Caracall. Lamprid. in Alex. Sev. *Dei nomen accipere* Iſidor in Gloſſar. *Dii fieri*, *Dii eſſe* Senecæ de morte Claudii Cæſ., & Minut. Fel. in Octavio: hinc illud Veſpaſiani, qui, ut tradit Sveton. cap. 23., *primâ acceſſione morbi*, *ut puto*, *inquit*, *Deus fio*: hinc Tertullianus in Apolegit. cap. XXXIV. ait *maledictum eſt*, *ante apotheoſin Deum*, *Cæſarem nuncupare*. Accedat Velleii Paterculi teſtimonium, qui lib. II. de Tiberio ait: *Sacravit Parentem ſuum Cæſar*, *non imperio*, *ſed religione*, *non appellavit eum*, *ſed fecit Deum*; & M. Antonini Aug. in epiſtolâ ad conjugem Fauſtinam apud Vulcat. Gallican. in Avidio Caſſio: *Non enim quidquam eſt*, *quod Imperatorem Romanum melius commendet Gentibus*, *quam clementia: hac Cæſarem Deum fecit*; Eam vero loquendi conſuetudinem, publicis etiam monumentis adprobatam, docet aureus Gallieni Aug. nummus a Spanhemio, Vaillantio, & Bandurio, non inſpectus ſolum, ſed attente conſideratus, in cujus poſteriori parte, caput Auguſti exhibetur, cum epigraphe DEO AVGVSTO.

Quod ſi Colonicam, Græcamve in mortuos Principes adulationem, in Romanis monumentis uſurpatam nequaquam fuiſſe, Viri docti adhuc contenderent, in eâdem tamen ſententiâ perſeverarem; non enim de Romano lapide agimus, ſed de Piſaurenſi; cui quidem Coloniæ turpe non eſt, quod Coloniam Tarraconenſem, quod Græcas Urbes, & Scriptores, quod ipſos denique, ne extra Italiam pervagemur, Neapolitanos non dedecuit, apud quos fragmentum Græcæ Inſcriptionis exſtat *Deos Auguſtos* memorans, vulgatum a Grut. pag. CXII. 8. ΘΕΟΙΣ . ΣΕΒ.

Quid poſt verba DEORVM AVGVſtorum in lapide olim fuerit, haud facile eſt ſtatuere, licet prompta ſuccurrat ſupplendi ratio VALVAS . SIGNA . DEORVM . AVGVST . CVM . BASIB . ET . HYPOBAS .

$\overline{\text{VI}}$ VIRI ET $\overline{\text{VI}}$VIRI AVGVSTALES. Similis plane iteratio habetur n. XLVIII. Putabam explicandas eas notas hoc pacto *Sevirales*, *&* *Seviri Auguſtales*; quum enim temporaneum fuerit Seviratus munus, adeo ut etiam iteratum ſit in Grut. pag. CXIII. 2. & Fabrett. Inſcr. Dom. Cap. V. n. 300. & tribus ſeqq., eo expleto durabat adhuc titulus. *Sevirales* autem dicebantur, ut conſtat ex Inſcriptione Grut. pag. I. 5. cui, quia in MSS. Pighii habetur, non SEVIRAL., ſed VI . VIR. AVGVSTAL., alias addo ex Reines. Cl. I. 221. & Donio Cl. V. 200. Sed quum expreſſe legatur $\overline{\text{VI}}$ VIRI, mirum in modum

dum torquebatur Inſcriptio, ut Sevirales evaderent. Verum ſecundis curis rem, puto, aſſequutus ſum; quum enim dimidiata ſit Inſcriptio, & alterius ex duobus illis Seviris nomen, cum eâ lapidis parte perierit (ad explendum enim ſecundum verſiculum, neceſſe eſt, alterius Seviri nomen ſupponere) interpretari poſſumus, Q. Baduſium [ non *Saduſium*, ut male habet Gudius] Delphicum, & alterum, cujus nomen intercidit, Seviros Auguſtales, una cum aliis quatuor Seviris Auguſtalibus [ſex enim erant] Valvas, & Signa Deorum Auguſtorum extruxiſſe, ſeu inſtauraſſe, ac in eorum dedicatione epulum Populo diviſiſſe. Idcirco vero duorum tantum Sevirorum nomina in marmore appoſita fuiſſe arbitror, quia illi hanc exſtructionem, ſeu inſtaurationem procuraverint; ſolebant enim duo tantum ex Seviris, quod Ordinis nomine faciundum erat, procurare, qui ideo CVRATORES ORDINIS dicuntur in Inſcriptione Brixianâ apud Fabrett. Cap. V. n. 342.

DEDICATIONE EPVLVM. Epula primum dabantur ab Imperatoribus re feliciter geſtâ, deinde ab iis, qui palmas ludorum retuliſſent, ut conſtat ex Athenæo lib. I. cap. I., ubi plura exempla erudite de more cumulat: demum vero in dedicationibus: *Dedicatio eſt publica ejus rei, quæ perfecta eſt, primo uſu exhibitio*, quod cumulate probat doctiſſimus Mazochius laud. Commentar. Cap. 3., ubi de Epulis pariter fuſe diſſerit, quæ fere ſemper in dedicationibus data fuiſſe animadvertit. Hinc EPVLO DEDICARE apud Fabrett. Inſcr. Dom. Cap. III. n. IV. eſt *dedicationis diem epulo celebrare*, ut ait Plinius lib. IV. Epiſt. I.

## IX. X. XI.

TRes haſce Inſcriptiones in Antiqui Ædificii ruinis repertas teſtatur MS. Collectio Inſcriptionum Piſaurenſium. Notavit jampridem Cl. Fabrettus Inſcr. Domeſt. Cap. VI. pag. 487. miſeram infimorum etiam hominum ambitionem, qui repetitis nominibus primum locum affectabant: duo, exemplis, quæ ille cumulavit, addo; unum ex his noſtris: alterum, illuſtrius tamen, ex Prænestinis Inſcriptionibus, quas, licet jam a Suareſio editas, is, qui ex lapidibus Præneſte deſcripſit, amiciſſimus, ac doctiſſimus Vir Pompejus Compagnonius, hic iterum vulgari operæ pretium fore duxit.

C. MA-

Digitized by Google

| | |
|---|---|
| C . MAGVLNIVS . C . F | C . SAVFEIVS . C . F |
| SCATO . MAX | FLACCVS |
| C . SAVFEIVS . C . F | C . MAGVLNIVS . C . F |
| FLACCVS | SCATO . MAX |
| PR | PR |
| SACRAVERVNT | SACRAVERVNT |

VESTIARIVS eſt omnis veſtium confector, & inſtitor, ut apud Ulpianum in l. cuicumque §. 4. ff. de Inſtit. Act. ; licet inter Officia is ſit, qui veſtibus præeſt. Veſtiarii artifices occurrunt in Gruter. p. DCL. 7. DCLI. 2. & VESTIARIVS DE VICO THVSCO p. MCXVII. 6. ; quorum alii a tenium veſtium confectione dicuntur VESTIARII TENVIARII apud Grut. p. DCL. 8., & Donium Cl. VIII. 35. 80.

LANARIVS eſt lanarum artifex. Plaut in Aulul. Act. 3. Sc. 5. v. 34.

*Stat fullo, phrigio, aurifex, lanarius.*

Plures tamen ex Vett. Codicum authoritate legunt *Linarius*. Lanarii noti in Inſcriptionibus Gruter p. XCIX. 5. DLXXIX. 8. DCXLVIII. 1. MLXX. 2. Horum aliis dicti ſunt LANARII PECTINARII a pectendo, Gruter. p. DCXLVIII. 2. alii LANARII CARMINATORES a purgando, Doni. Cl. VIII. 56. alii LANARII COACTILIARII a coactiliis, quæ faciebant, aut vendebant, Gruter. p. DCXLVIII. 4. ; iidem tamen eâdem p. DCXLVIII. 3. dicuntur LANARII COACTORES.

STRVCTOR. Inter Officia Domus Structores ſunt, qui diſponendæ menſæ præſunt, aut cibos diſcerpunt. Verum hic artifices ſunt ut in l. quibuſdam ff. de Jur. Immunit & apud Vegetium lib. II. Cap. XI. & hoc ſenſu occurrunt in Gruter. p. CVI. 8. DCXLVI. 6. MII. 1. Fuerunt autem hi Structores, fabri cæmentarii. Cicero ad Q. Fratrem lib. II. Epiſt. 6. *in aream tuam veni : res agebatur multis ſtructoribus : Longilium redemptorem cohortatus ſum : fidem mihi faciebat, ſe velle nobis placere : domus erit egregia.* Expreſſe dicuntur STRVCTO-



Digitized by Google

CTORES PARIETARII in veteri Inſcriptione apud Reineſ. Cl. XI. 112. quam iterum dedit Sponius Miſcellan. Sect. VI. p. 233. Edit. Lugdun. De his diſſerit Pancirol. de Corporibus Artificum n. IX.

MAGISTRI VICI. Scilicet vici illius, in quo Porticum ſuâ pecuniâ refecerunt. Ti. Claudio. Cn. Calpurnio Piſone Coſſ. ab anno U. C. DCCXLVII. ab Auguſto Magiſtri vicorum inſtituti fuerunt. Sveton. in Aug. cap. 30. *Spatium Urbis in Regiones, vicoſque diviſit, inſtituitque, ut illas annui Magiſtratus ſortito tuerentur, hos Magiſtri e plebe cujuſque viciniæ electi.* Dio lib. LV. *Magiſtri vicorum ex plebe conſtituti ſunt, quos Sthenopartos dicimus.* Quod patet & ex antiquis Inſcriptionibus apud Grut. p. LXXIX. 5. & Fabrett. de Columna Trajan. Cap. IX. p. 273. ut idem Fabrettus oſtendit Inſcript. Domeſt. Cap. II. pag. 103. Horum munus vicos tueri, & Compitalitiis præeſſe, quæ *prætextati faciebant* teſte Aſconio in Ciceronem. V. not. CXXXII. ubi doctiſſimi Antonii Franciſci Gorii Commentationem dabimus.

## X I I.

INſcriptionem hanc ad Pontem Iſauri ſtetiſſe integram eo pacto, quo illam edidimus, omnes Lapidum Piſaurenſium Collectiones tradunt. Verum ea, quæ ab hinc annis ſeptuaginta a Dominico de Abatibus Oliverio Patruo magno meo concinnata eſt, tradit lapidem prætereuntium curruum rotis non mediocriter exeſum, legiq: ſolum

.. FLAMINIVS

... VA PECVNIA.

Addit inſuper haud exiguam ejus partem terrâ obrutam, dum viæ publico Decreto iſtaurarentur. Totum deinde lapidem occultatum fuiſſe, non dubito, in alterâ recentiori viarum reparatione, quum congeſtis ibi maceriis altior via facta eſt. Deeſt Inſcriptio in Collectione M. Antonii Gozzei.

C. FLAMINIVS. An C. Flaminius, qui Pontem, quo Iſaurum premimus, ſuâ pecuniâ ædificavit, fuerit is, qui Cenſor viam Flaminiam ſtravit, quis neget, aut quis affirmet? Equidem C. Cenſor ille, qui viam non ſuis, ſed Reipublicæ ſum-

Digitized by Google

ſumptibus fecit, nec Pontem hunc, ejuſdem vix partem, ſuâ pecuniâ ædificaſſet. Quid igitur de hoc Flaminio, imo de hâc Inſcriptione, ſtatuendum ſit, prorſus (*) ignoro. Illud tamen ſtatuo, Pontem hunc, ſi ſuperiores partes excipias, quæ ſæpius inſtauratæ fuerunt, inter præclariora Romanorum opera collocandum, ſi admirabilis abſidis ſymmetria, & venuſtas ſpectetur. Porro arcu longe antiquior eſt Pons, quem integrum ex Illyrico lapide (**) olim fuiſſe, apparet ex tribus, quæ ſuperſunt, pilis, & alterâ, quæ in medio fluminis alveo, quando aquæ decreſcunt, conſpicitur. Ingentes vero lapides, ex quibus vetuſtiores arcus conſtabant, partim in flumine deliteſcunt, partim circa pilas exſtant; reliqui Civium uſibus ceſſerunt, municipali lege neglectâ, quæ habetur Statutor. lib. III. Rub. 99. pag. 62. ſub titulo. *Quod nullus accipiat de Lapidibus Pontis Foleæ*.

## XIII.

VIr doctiſſimus Sebaſtianus Paullius Inſcriptionem hanc mecum primus communicavit: Nuper enim, quum Fani ſacras Conciones habiturus moraretur, inſignem Camaldulenſium Eremum, vulgo *Monte Giovio* dictam fortuito inviſens, eam ante Cœnobii fores offendit, & paucos ante dies repertam fuiſſe edoctus, exemplar illico ad me miſit, probe noſcens, Piſaurenſis regionis terminum eo lapide contineri. Quanto gaudio affectus tunc fuerim, non eſt quod prædicem; exiſtimabam enim certiſſimo marmoris teſtimonio, omnibus fidem me facturum, Piſaurenſem agrum haud exiguâ laciniâ ampliorem olim fuiſſe. Verum quum diligentius de loco, ubi erutum fuit, inquirerem, patuit, nuper quidem effoſſum, ſed in agro Piſaurenſi ad Montem Barochium, in eorumdem PP. Eremitarum prædio: inde ipſorum juſſu ad Eremum advectum, ut eo jam non publicus, ſed privatus Cœnobii ager quidam terminaretur.

Piſaurenſis regionis fines ex libro Balbi Menſoris graphice deſcribit Frontinus de Coloniis. *Piſaurenſis*, inquit, *ager finitur rivorum, riparum, Fluminum curſu, TERMINORUM fide, & pa-*



(*) *Satis probabilis occurrit conjectura, Inſcriptionem neutiquam ad Pontem pertinere, ſed fortuito ibidem aſportatam ſententiæ illi auſam dediſſe, qua Flaminii opus eſſe Pontem noſtrum volunt.*

(**) *Nos* marmo d'Iſtria *appellamus.*

*& palis ſacrificalibus, ſicut in Provincia Piceni.* Quantum olim ille quoquoverſus patuerit, inquirere, neque propoſitum nobis eſt hoc loco, neque neceſſarium; hoc vero ſine ulla dubitatione confirmaverim, præclarum lapidem, quem illuſtramus, terminum fuiſſe, unum aliquem ex iis, quos Frontinus memorat, ex S. C. a M. Terentio Varrone Proprætore poſitum, qua III Viri P. Licinius, Ap. Claudius, Cajus Gracchus, aſſignari, dari, agri, jura Piſaurenſi Coloniæ, multis ante annis, ſtatuerunt.

Equidem C. Flaminius Tribunuſpl. is, qui Conſul ad Traſymenum fuit interfectus, ut habet Cicero in Bruto c. 14. *legem de agro Gallico, & Piceno viritim dividendo* tulit: & de Invent. lib. II. c. 17. Diſcrepant de anno Polybius lib. II., & Cicero de Senect. cap. 4. Perlatam tamen legem fuiſſe, & agrum diviſum, ex Cicerone, & Varrone animadvertit Sigonius lib. II. cap. 1. de antiq. Jur. Ital. Ut ut illud fuerit, certe A. U. DLXX. Piſaurum Colonia primum deducta fuit a III Viris Q. Fabio Labeone, & M., & Q. Fulviis Flacco, & Nobiliore. Piſaurenſem regionem diviſam tunc fuiſſe, ut Colonis agri modus aſſignaretur, Livius teſtatur lib. 39. c. 44. *Sena jugera in ſingulos data: diviſerunt agros, Coloniaſque deduxerunt iidem III Viri.* Pertica etiam Piſaurenſis a Coloniæ Conditoribus conſtituta fortaſſe tunc fuit; neque vero affirmandum id omnino eſt; aliquando enim, qui Colonias deducebant, eam dumtaxat agri partem metiebantur, limitibuſque claudebant, quæ Colonis dividenda erat, ut ex Scriptoribus Rei Agrariæ manifeſto conſtat. Sive tamen pertica Piſaurenſis determinata tunc fuerit, ejus vero memoria (*) perierit; ſive non, univerſum agrum Piſaurenſem, terminis poſitis, finitum fuiſſe a III Viris C. Lucinio, Ap. Claudio, & C. Graccho noſtra docet Inſcriptio.

Hæc res quemadmodum ceciderit, breviter explicabimus. Lege Liciniâ, quâ ne quis pluſquam quingenta agri jugera poſſideret, cavebatur, libidine divitum pene obliteratâ, Ti. Gracchus Tribunuſpl. Italiæ ſolitudini, populique egeſtati ſuccurrendum ratus, legem Semproniam promulgavit, quâ, agris contra leges occupatis, injuſti poſſeſſores cadere jubebantur. Notum eſt quantas turbas ea lex exciverit, perlata tamen eſt, poſtquam M. Octavio Collegæ, Tribunatum Gracchus abrogavit.

(*) *Nondum enim in Tabulario publico omnium Regionum accuratæ dimenſiones æri inſculptæ ſervobantur, quod opera Balbi Menſoris primus inſtituit Auguſtus.*

vit. Lege perlatâ III Viri creati ſunt Ti. ipſe Gracchus, ejuſque frater C., & Ap. Claudius ſocer ad agros diſcernendos, dividendoſque. Plutarchus in Ti. Gracch. *Legem deinde agrariam populus juſſit, & ad diſcernendos, dividendoſque agros III Viri delecti ſunt Ti. ipſe Gracchus, Ap. Claudius ſocer, & frater Cajus, qui tum ſub Scipione ad Numantiam militabat.* Appianus lib. I. Civil. pag. 357. *Lex agraria perlata eſt, triumvirique agris dividendis creati Gracchus ipſe, C. Frater ejus, & ſocer Ap. Claudius.* Tiberio paullo poſt interfecto, in illius locum ſuffectus eſt P. Licinius Craſſus C. Gracchi ſocer. Plutarch. in ead. vitâ Ti. *Senatus quidem, ut animos populi placaret, cum aliis uſus eſt rationibus, tum ne agrorum quidem diviſionem porro negavit; conceſſitque, ut in Ti. Gracchi locum alius, qui praeſſet ei negotio, deligeretur. Populi ſuffragiis P. Craſſus eſt conſtitutus, cujus filiam Liciniam C. Gracchus in matrimonio habebat.* En igitur III Viri in Inſcriptione noſtrâ memorati P. Licinius, Ap. Claudius, C. Gracchus, Profecto agrorum dimenſionem, diviſionemque fecerunt. Id vel ex eo maxime colligitur, quod alii III Viri poſtea creati, nempe M. Fulvius Flaccus, C. Papirius Carbo, idemque C. Gracchus, diviſionem continuarunt, ut ex Appiano conſtat, cujus locum recitare non piget. Ait itaque Appianus pag. 360. *Poſt Gracchi necem, Appio Claudio quoque vitâ functo, Fulvius Flaccus, & Papirius Carbo, cum minore Graccho, legis agrariæ ſuſceperunt patrocinium. Quumque veteres poſſeſſores agros recenſeri tergiverſarentur, judices ad accuſandos eos per præconem invitaverunt: ac mox enatæ ſunt lites difficiles plurimæ; quidquid enim conterminorum agrorum, aut divenditum fuerat, aut diviſum ſociis, totum in controverſiam veniebat diſceptando, quo pacto venditum eſſet, aut diviſum: quum nec inſtrumenta exſtarent omnia, & nonnulli excidiſſent e ſuarum portionum poſſeſſionibus; quod ſi qua exſtabant, & ipſa erant juris ambigui; quod, dum agri de integro ad menſuram dividerentur, Colonorum alii ex conſitis, & ſuis villis, inſtructis fundis, transferebantur in terram nudam, alii e cultis in incultam, aut cænoſam, paluſtremve; quia jam inde ab initio ager de hoſte captus negligenter diviſus fuerat: & quoniam edictum fuerat, ut coleretur id agri, quod dividendum erat, dum multi inter colendum evehuntur etiam in contigua, confundebatur locorum facies, ætate quoque multa mutante, ut difficile eſſet divitum injurias, quamvis magnas, deprehendere &c.* Hinc intelligimus III Viros illos, ut diviſionem accu-

ratio-

ratiorem facerent, de integro, regiones dimenſos fuiſſe, ſive quia nulli antea erant perticarum fines, ſive quia eorum memoria perierat, ut diximus. Hinc pariter intelligimus, quid ſint in Frontino *limites Gracchani*, in quibus explicandis fruſtra ſe exercet doctiſſimus Mazochius de Amphit. Camp. Cap. I. p. 43., ii nempe fines, quos Coloniarum Municipiorumque Regionibus ex lege Semproniâ III Viri impoſuerunt. Intelligimus item, quantâ injuriâ Goeſius Frontino libellum de Coloniis abjudicaverit, quod in eo habeatur, *Arretinum agrum, lege, Auguſtaâ limitibus Gracchanis aſſignatum fuiſſe*. Non enim pugnant cenſere *limitibus Gracchanis*, & cenſere *lege Auguſtaâ*; ut ipſe exiſtimat; Sed ſignificatur ibi, Arretinæ perticæ fines ex lege Semproniâ a III Viris ſtatutos, vel lege Auguſti, vel terminis ab Auguſto ibidem reſtitutis, confirmatos fuiſſe, ſeu Arretinum agrum, iiſdem limitibus, a Gracchanis III Viris impoſitis, lege Auguſti novis Colonis aſſignatum fuiſſe. Ita certe illum Frontini locum explicandum ſuadet Siculus Flaccus, qui de Condit. agror. ita ait: *Graccbanorum* (*) *& Sillanorum limitationum mentio habenda eſt; in quibuſdam etiam* [**] *regionibus, ut opinamur, iiſdem lapidibus, limitibus manentibus aſſignationes* (***) *poſteriore a Duce facta ſunt*.

Patet igitur P. Licinium, Ap. Claudium, C. Gracchum III Viros ex lege Semproniâ Piſaurenſem perticam terminaſſe. Haudquaquam difficile eſt annum denotare, quo hæc Piſaurenſis territorii finitio facta eſt, nempe vel ſub finem ipſius anni DCXXXI. P. Mucio, L. Calpurnio Piſone Coſſ., quo & lex a Ti. Graccho lata, & ipſe legis lator interfectus eſt, vel ſequentis anni DCXXII. initio, quo PP. Popillius, & Rupilius Coſſ. fuerunt; ipſâ enim lege cavebatur, ut III Viri in annos ſingulos mutarentur, ita ut Ap. Claudius, ejuſq: Collegæ, qui anno DCXXI. Triumviratum iniverant, eum ultra initium anni DCXXII. producere eâdem lege, quâ poteſtatem acceperant, prohibebantur. Sane terminos, quos Gracchani III Viri poſuerunt, vel nequitia hominum ſublatos, vel incuriâ amiſſos, ex S. C. M. Terentius Varro Lucullus reſtituendos curavit. Quando id factum fuerit, divinari non auſim; temporibus tamen Sullanis id acciſſe ſuſpicionem facit Siculus Flaccus, qui in lib. de Condit. Agror.

(*) *Lege*. Gracchanarum, & Sillanarum.
(**) *Lege*. enim.
(***) *Ita optime emendavit Goeſius*.

Digitized by Google

Agror. *Gracchanas*, *&* *Sillanas limitationes*, *Gracchanos*, *&* *Sillanos limites*, *&* *lapides* conjunctim memorat : Frontinus quoque de Colon. Nolanum agrum *limitibus Sullanis*, Tuſculanum *Menſurâ Sullanâ* aſſignatos ſcribit. M. Luculli ætas apprime convenit; quum enim Ædilitatem is geſſerit Anno U. C. DCLXXV. P. Servilio, Ap. Claudio Coſſ. ut ex Plinio lib. VIII. Cap. 7. conſtat, quam magnificentiſſimam fuiſſe lib. II. cap. 16. de Offic. Cicero ſcribit; apparet Sulla Dictatore, ut terminos hos Proprætore reſtituendos curaret, idoneum fuiſſe. Accedit, quod probabilem Sulla Dictator habuit cauſſam, cur id per Senatum juſſerit, quum enim militarem Coloniam Piſaurum deduceret, ut ſuo loco demonſtrabimus, neceſſe erat perticæ fines definire, ut accommodatior agri diviſio fieret.

M. TERENTIVS VARRO LVCVLL. Expoſito Inſcriptionis pretio, quædam etiam notanda ſunt ad uberiorem illius explicationem, de celeberrimis Viris, qui in eâdem memorantur, quique Romanæ Hiſtoriæ Principes jure appellari poſſunt. M. Terentius Varro Lucullus ex Liciniâ gente fuit, in Terentiam Varronum familiam adoptatus: L. Luculli clariſſimi illius viri, ſive frater, ut Cicero, & Plutarchus tradunt, ſive patruelis, ut Eutropius: Sullæ Imperatoris Quæſtor feliciter ad Fidentiam pugnavit; Ædilis cum Lucullo fratre fuit; Prætor Peregrinus beneficio legis Sullanæ, quâ iis, qui ſuas partes foviſſent, Magiſtratus continuatos gerere permiſit, fortaſſe anno ſequenti, quo Sulla deceſſit, ut ex Aſconio conjicere haud temere poſſumus: ſcribit is in Orationem in Togâ Candid. *ad M. Lucullum Prætorem*, *qui jus inter Peregrinos dicebat*, *in jus adductum a Græcis C. Antonium*, *quod is multos in Achajâ ſpoliaverat*, *nactus de exercitu Sullano equitum turmas*. Conſul cum C. Caſſio Varo A. U. C. DCLXXXI. anno poſt L. fratrem. Macedoniam Provinciam Proconſul obtinuit: de Beſſis triumphavit: paullo poſt L. fratrem deceſſit, ut author eſt Plutarchus in Vit. L. Luculli V. Auguſtin. de Famil. Roman. Richar. Strheinn. de Fam. R. Corrad. in Cicer. Brut.

P. LICINIVS. P. Licinius Craſſus Mucianus, P. Mucii Scævolæ filius, in Liciniam gentem a P. Licinio divite adoptatus, Pontifex Max. Anno DCXXII. in locum P. Cornelii Naſicæ cooptatus, anno ſequenti Conſulatum cum L. Valerio Flacco Flamine Martiali geſſit. Proconſul contra Ariſtonicum

bellum

Digitized by Google

bellum ſuſcepit, in eoque occubuit. Duæ filiæ ei fuerunt, quarum alteram C. Sulpicius Galba duxit, alteram C. Gracchus, ut Plutarchus loco citato teſtatur. *V. eoſd.*

AP. CLAVDIVS Ap. f. Coſ. fuit cum Q. Metello Macedonico anno U. DCXI. Injuſſu populi de Salaſſis triumphavit. Anno DCXVI. cum P. Cornelio Lentulo Cenſor fuit. Biennio poſt Princeps Senatus lectus eſt: Duas item ex Antiſtiâ uxore filias ſuſcepit, alteram in matrimonio Ti. Gracchus habuit, altera Virgo Veſtalis pietate erga Parentem clara, currum, quo ille triumphans vehebatur, conſcendit, ne Tribunipl. triumphare illum vetarent. *V. eoſd.*

C. GRACCHVS. C. Sempronius Gracchus, Ti. Gracchi Conſularis, Cenſorii, & Triumphalis Viri, & Corneliæ filius, Ti. Gracchi frater, Orator optimus ab Opimio Cos, dum tertium Tribunatum peteret interfectus eſt. Ineptum eſt plura de hoc viro dicere, cujus Vitam diligentiſſime ſcripſit Plutarchus.

A. D. A. I. S. *Aſſignari Dari Agri Jura Statuerunt:* Solemnis formula agraria. Siculus Flac. de Condit. Agror. *Inſcriptiones in Centuriis frequenter invenimus tales DATVM ASSIGNATVM ſingulis perſonis certum modum:* &, ne a noſtris recedamus, idem Flaccus. *In quibuſdam regionibus Fluminum modus aſſignationi ceſſit, in quibuſdam vero ſubſcecivus relictus eſt; in aliis autem exceptus, inſcriptumq: FLVMINI ILLI TANTVM, ut in Piſaurenſi comperimus DATVM ASSIGNATVMQ. VT VETERANO.* Hinc in fragmento legis Thoriæ in Grut. pag. CCII. III VIR A. D. A. *III Viri Aſſignandis Dandis Agris;* quas notas miror doctiſſimum Scaligerum inexplicatas præteriiſſe.

## * XIV.

SPuria hæc Inſcriptio exſtaſſe dicitur prope ſaluberrimum Valuculæ fontem, ſeptimo a Piſauro lapide Ariminum verſus ad litus maris. Eam ideo Piſaurenſium marmorum cenſui adnumerare libuit, licet non ignorem a Grutero inter Spurias pag. IV. n. 3. ex Appiano referri, & Romæ extra Portam Flaminiam eſſe prodi, itemque a Gudio paullo immutatam p. CCCLXXIV. 6., & Faleriis collocari.



Digitized by Google

## X V.

INſcriptionem hanc ita ſchedæ MSS. exhibent. Gruterus, qui eam p. MXXI. 2. vulgavit lin. 2. habet ΜΕΝΕΘΕϹ, lin. ult. Π æquali crure ductum. Eædem ſchedæ in pede ſtatuæ Inſcriptionem exſtare dicunt; Gruterus contra *in veſtimentis ſtatuæ, cujus pes integer ſupereſt*; fortaſſe verius: vix enim credibile eſt à Græcò artifice pedem ſtatuæ inſcriptum fuiſſe.

## X V I I.

HAnc quoque Gruterus ex Urſini ſchedis inter Spurias recenſet pag. X. 6., additque inſcriptam eſſe operoſæ baſi, cujus toreumata memorat. Supereſt hæc baſis etiamnum in impluvio quodam Palatii Principum: non ita Inſcriptio, quæ non, ut tradit Gruterus, eidem baſi inſculpta fuit. Hieronymus Arditius, qui ſæculo XVI. literatos lapides Piſaurenſes deſcripſit, hæc habet. *Nel Giardino del Sig. Duca vi è un piedeſtallo con un corpo di ſtatua belliſſimo di marmo ſenza teſta, gambe, e bracci, ma così ben fatto, ch' è tenuto per coſa inſigne, e ſi crede, che foſſe un Apollo dalle figure, ed Iſcrizioni, che vi ſono. Il piedeſtallo è di opera belliſſima, lavorato con figure di mezzo rilievo; Nella faccia dinanzi vi ſono quattro figure di buona maniera; Una Donna armata con elmo in teſta, ed eſpoſta ſedendo ſopra una corazza, come ſi ſuol rappreſentare Roma: un altra Donna diſarmata poſta innanzi alla prima in atto di addimandarle mercede, inginocchioni in terra con mani, e gambe, e può dimoſtrare qualche Regno, o Provincia, alcuni credono eſſer Cartagine. Dietro a queſta figura vi ſono due Soldati, uno armato di corſaletto, o corazza, e celata con un aſta in mano, con Inſegne militari in atto di Capitan Generale, e l' altro è diſarmato con una Inſegna, ove ſono notate queſte lettere S. C., che inferiſcono Senatus Conſulto. Nella deſtra faccia vi è un Trofeo d' armi. Nella ſiniſtra vi è una Battaglia a cavallo con alcuni morti ſotto, con un Trombetta con Tromba all' antica, col ſuo pendone, dove vi è ſcritto S. P. Q. R. Il medeſimo Trombetta nella mano deſtra tiene un aſta; dove vi è pendente un Quadro con queſte lettere S. C. Vi è poi un piedeſtallo piccolo ſopra queſto, che ſi è detto, colla infraſcritta Iſcrizione, la quale non ſi crede, che ſia antica LVXVRIANTEM ANIMO &c.* Meminit hujus Inſcriptionis,

& M. Antonius Gozze in laudato lib. *L'Anno ſeguente dopo, che detta Città di Peſaro fu dedotta Colonia Romana, morì in Pruſſia Annibale Cartagineſe di veleno; Onde ſi può credere, che in tal tempo, (ſe pure è antico il Pilaſtro di marmo, come pure giudica Franceſco Santinelli Conte della Mezola, perſona molto erudita) alla voluttà, la quale enervò l'Eſercito vittorioſo, ed anco l'animo del detto Capitano de' Cartagineſi, foſſe eretta la ſeguente Iſcrizione. LVXVRIANTEM &c.* Edidit & Manutius in Ortographiâ in V. Chartaginenſis.

CONIVNCTIQ. Ita legitur in eo, quem modo laudavi, MS. Codice Hieronymi Arditii; in aliis INVICTIQ. Hinc patet huic baſi ſuperimpoſitam olim fuiſſe P. Scipionis Africani ſtatuam.

VOLVPTAS. Præclariora Scipionis decora his verſiculis enarrantur. VIX PVBER dicitur ad arma Patres vocaſſe, quod, quum in Comitiis de Proconſule in Hiſpaniam mittendo, nemo id imperium ſuſcipere vellet, ipſe petiit, & univerſi populi ſuffragio Proconſul creatus eſt, annum agens vigeſimum quartum, ut auctor eſt Livius lib. 26. c. 18. Indicatis deinde præclariſſimis illius Victoriis, MAXIMA CVNCTARVM VICTORIA fuiſſe dicitur VICTA ab eo VOLVPTAS. Id Scipio præſtitit laudabili illo facinore, quod licet fidem apud omnes non habuerit, ut ex Gellio conſtat lib. VI. Cap. 8., idem Livius narrat lib. XXVI. c. 50.: ei ſcilicet captâ novâ Chartagine inter captivas adductam fuiſſe virginem nobilem eximiâ ſpecie, quam ut audivit Scipio deſponſam eſſe juveni principi Celtiberorum, licet naturâ in mulieres impotentius ferretur, eum ad ſe acciri juſſiſſe, reſtituiſſeque inviolatam, intactamque virginem cum omnibus muneribus, quæ ob id a parentibus acceperat. Porro alterum egregii hujus facti monumentum ſpectare licet in Miſcellan. Erud. Antiq. Sponii Sect. IV. p. 152.

## X I X.

VUlgatam fuiſſe hanc Inſcriptionem a Cl. Fabretto diximus ſupra Not. VIII. Edita eſt rurſus in Collectione Doniana Cl. III. 36., & in Gudio pag. XCIII. 5. Sed utrobique parum accuratè; non enim memoratur eraſio Literæ G ultimæ verbi AVGG, quam ut graphice Lectorum oculis ſubjiceremus, æri incidendam Inſcriptionem curavimus.

MATRI CASTROR. Solitus Juliæ Auguſtæ titulus, ut apud Grut. p. XXXIX. 3. CIX. 8. CCLXVI. 5. 7. CCLXVII. 1., &

Digitized by Google

& paſſim apud Fabrettum, Donium, Gudium. In ejus honorem fortaſſe erectum Templum MATRI KASTORVM ſacrum, cujus *Sacerdotum Antiſtes* occurrit in Gruter. p. CCCXVII. 7., ſi vera eſt Reineſii lectio: eâdem tamen appellatione inſignitur, & Julia Mammæa in Grut. pag. CCLXXI. 6., & Otacilia Severa in Fabrett. Inſcr. Dom. Cap. IX. n. 79., præter Fauſtinam, quæ prima omnium *Mater exercituum* dicta eſt, ut teſtatur Cl. Gorius in Annotatione, quâ noſtram Inſcriptionem in Donianâ Editione illuſtravit; Hanc integram deſcribo: *Cæſarum primus Caligula teſte Suetonio in ejus Vitâ Cap. XXII. caſtrorum filius, & exercituum pater eſt appellatus, quod ſcilicet in caſtris natus, & educatus eſſet. Auguſtarum prima Fauſtina devictis Quadis Mater exercituum dicta eſt, quod maritum ſuum M. Antoninum Pium comitata fuiſſet in caſtris, quod veteres nummi, lapides, & Scriptores teſtantur. Hoc exemplo adulationis gratiâ Julia Septimii Severi uxor, M. Aurelii Antonii, cognomento Caracalla, & Antonini Getæ Cæſarum mater, appellata eſt Mater Caſtrorum, & Auguſtorum, item Senatus, & Patriæ. Vid. Par. I. Inſcr. Etr. Urb. pag. 6.*

ET AVG.... Mater Auguſtorum, Caracallæ nempe, & Getæ. Alterum G abraſum fuiſſe notavit jampridem doctiſſimus Fabrettus. Ejus certe veſtigia non indubia ſuperſunt. Factum id fuit poſt necem Getæ a Caracallâ fratre perpetratam: tunc enim juſſu Caracallæ nomen Getæ, ut omnis penitus illius memoria intercideret, ubique eraſum fuiſſe, docuerunt Nardinus Rom. Veter. lib. V. c. 6. Fabrettus de Col. Trajani Cap. II., Suareſius, Vaillantius, & alii ſexcenti, quorum indicem contexere operæ fortaſſe pretium non eſſet; non enim Scriptorum auctoritate, ſed rationibus, & perſpicuo antiquorum monumentorum teſtimonio, agenda nobis res eſt. Etenim Cl. Fontaninus, *inſignem Antiquariorum errorem a nemine hactenus animadverſum patefacere* ſibi viſus, in lib. I. Cap. 3. de Antiquit. Hortæ in novam conceſſit ſententiam, putavitque numquam eraſum e publicis monumentis nomen Getæ, ſed ſolum Fulvii Plautiani Præfecti Prætorio, patris Plautillæ Auguſtæ: perperam vero ab omnibus Nardino *hircum mulgenti cribrum ſupponentibus* Getæ nomen repoſitum, ubi Plautiani fuerat reponendum. Duas potiſſimum ſuæ ſententiæ rationes affert; Alteram quod Spartianus, quem teſtem appellant Nardinus, & Suareſius, non modo hanc abraſionem non narrat, ſed contraria potius, quum tradat Caracallam



Digitized by Google

fratris proditores ſupplicio affeciſſe, fleviſſe etiam, quotiens illius imaginem, aut ſtatuam conſpexerit, ac demum ipſum inter Deos retuliſſe; Alteram, quod non ſolum maximos, & inauditos honores Plautiano tributos ſcribant Hiſtorici, ejuſque ſalutem pari precio habitam fuiſſe, ac ipſorum Auguſtorum teſtetur lapis duabus pariter lineis abraſus apud Grut. p. XXXIX. 3., verum etiam, quod Plautiani nomen e pluribus publicis monumentis, quibus conſignatum fuerat, odio Caracallæ eraſum fuiſſe, exploratiſſimum ſit ex lapide Colotiano apud Gruter. p. CCLXX. 6., & alio p. XLVI. 9., quibus accenſendas eſſe, non modo Arcus Septimii in Clivo Capitolino, alteriuſq: in Foro Boario Inſcriptiones contendit Vir doctiſſimus, ſed quotquot aliæ reperiuntur ad tempora Severi ſpectantes, in quibus abraſio aliqua deprehendatur.

Verum non eæ ſunt rationes ab eruditiſſimo Viro allatæ, ut me, de ſententiâ tantorum Scriptorum calculis firmatâ, huc uſque dimoverint. Etenim, ut certum eſt nomen Plautiani in iis duabus Gruteri Inſcriptionibus eraſum fuiſſe, ita quoque certum arbitror in tot aliis monumentis Getæ nomen eraſum, quæ ille omnia per nimiam vim ad ſuum Plautianum detorquet. Id autem, & ex antiquis Hiſtoricis, & ex vetuſtis Inſcriptionibus manifeſto deprehenditur.

Licet enim Spartianus nuſquam ſcribat, juſſu Caracallæ Getæ nomen eraſum, quod Nardino excidit, plura tamen narrat, ex quibus recte infertur, Antonini odium fratris ſanguine expleri non potuiſſe, ſed etiam poſt ejus mortem graſſatum fuiſſe. In Caracall. *Dixit præterea in caſtris, fratrem venenum ſibi paraſſe, matri eum irreverentem fuiſſe, egitque publice gratias his, qui eum occiderunt*; non multo poſt: *quum flentem matrem Getæ vidiſſet, aliaſque mulieres poſt necem fratris, mulieres occidere conatus eſt:* ac deinde; *Iiſdem diebus occiſi ſunt innumeri, qui fratris ejus partibus faverant: occiſi etiam liberti, qui Getæ adminiſtraverant*. Poſtea vero Papiniani mortem deſcribens, inquit; *atque ideo unâ cum his, qui fautores fuerant Getæ, a militibus non ſolum permittente, verum etiam ſuadente, occiſum*. In Getâ. *Occidere voluit, & matrem Getæ, novercam ſuam, quod fratrem lugeret, & mulieres alias, quas poſt reditum de curiâ flentes reperit*. Teſte igitur ipſo Spartiano deprehendimus Caracallæ odium in Getam fratrem, etiam poſt ipſius mortem, publicis ſignis teſtatum. Sed, clarius quam Spartianus, hæc narrat Herodianus lib. IV. ex Angeli



Digitized by Google

geli Politiani verſione, cujus locum etſi longiuſculum non piget exſcribere. *Et quando ſecus proceſſerant latentes inſidiæ, neceſſarium putabat* (Caracalla) *periculo omni, ac ſpe poſthabitâ, quovis modo incæptum patrare. Quare irrupto fratris cubiculo, nihil tale eum expectantem ſupra matris pectus multo undantem ſanguine ſævus obtruncat. Quo facto exilit ſtatim, ac per totam regiam currens clamitat, magnum ſe effugiſſe periculum, vixque evaſiſſe incolumem: ſimul imperat militibus regiæ cuſtodibus, raperent illico ſe, atq: in caſtra perducerent, ubi tutius aſſervaretur, periturum dictitans, ſi diutius moram in ædibus trahat. Illi pro veris ea accipientes, ſimul ignari, quæ intus geſta erant, currentem eum currentes, & ipſi comitantur. Fit ingens populi tumultus raptim agente ſe ſub veſperam Principe mediam per Urbem. Ut autem caſtra attigit, ædiculamq: eam, intra quam Signa, & Simulacra exercitus adorantur, procidens humi gratias agebat, votis quaſi pro ſalute ſuſceptis: Ea res militibus nunciata partim jam lavantibus, partim requieſcentibus: ſtatim illuc omnes exterriti feruntur. Ille progreſſus in medium, non quidem continuo rem ipſam, prout geſta erat, fatebatur, ſed effugiſſe periculum clamitabat, inſidiaſq: inimici hominis, atq: hoſtis, nam ita fratrem appellabat: vixq: tandem poſt longum certamen adverſarios ſuperatos: quippe utriſque periclitantibus, ſe poſtremo unicum Imperatorem Fortunæ relictum dono: talia quædam obliquans, atq: involuens, intelligi, quæ feciſſet, quam audiri malebat. Tum pro ſalute, imperioque ſuo ſingulis militibus Atticarum drachmarum duo millia ſupra quingentas pollicetur: prætereaq: annonæ, ſupra quam ſueti accipere, dimidium. Jubet item jam tum ex Templis, theſauriſq: pecuniam ſumere, largiter effuſis uno die, quæcumq: per duodeviginti annos Severus collegerat, atq: recondiderat alienis calamitatibus: At milites tantâ pecuniæ magnitudine illecti, totoque jam negotio intellecto, vulgatâ paſſim cæde per eos, qui ædibus aufugerant, unum illum declarant Imperatorem, Getâ HOSTE appellato.* Narrat deinde Caracallam poſtero die in Senatu acerbâ oratione in Getam, quem ſemper hoſtem appellat, invectum: mox ita proſequitur. *Continuo cæpti occidi domeſtici omnes fratris, atque amici, qui in ædibus habitabant, quas ille incoluerat, miniſtrique item univerſi, ſic ut ne ætati quidem infantium parceretur.* Hæc quidem Fontaninus, non odio in fratrem perpetraſſe Caracallam exiſtimat, ſed politicâ ratione, ut omnes facinoris conſcios, ne rem proderent, e medio tolleret; Verum procedat id

Digitized by Google

licet in domeſticorum, amicorumque, qui in Palatio habitabant, cædibus, tamen iis, quæ ſubdit Herodianus, minime convenit; ait enim: *Porro ipſa cadavera plauſtris omnibus per contumeliam impoſita, aut extra urbem exportata, acervatim, aut temere injecta rogis comburebantur: nec quiſquam ſuperſtes fuit ex iis, qui levem modo cum Getâ notitiam habuiſſent. Athletæ etiam, & aurigæ, atq: omnifariam hiſtriones, & quidquid denique, vel oculis illius, vel auribus jucundum fuerat, paſſim occidebantur. Præterea Senatorii Ordinis quicumque aut nobilitate, aut opibus excellerent, minimâ quâque de cauſſâ, vel plane nullâ, quantumlibet levi delatione, pro illius amicis interimebantur; Quin & Commodi ſororem jam anum, atq: ab omnibus Imperatoribus, ut Marci filiam oportuit, magno in honore habitam morte affecit, cauſſatus, quod Getæ necem apud ipſius matrem defleviſſet.* Jam vero mirum videri non poterit, Antoninum, Deo gladium, quo Getam interemerat, conſecrare auſum eſſe, quod ex Dione, & Zonara conſtat. Propius tamen ad rem noſtram ex Dione, coævo Scriptore, & ipſius Severi dudum familiari, Xiphilinus, cujus auctoritate uſus fuit l. l. Fabrettus, poſtquam Caracallæ crudelitatem in eos, qui vel minimam cum fratre notitiam habuiſſent, deſcripſit, ait: *Capitale enim fuit, ſi quis vel ſolum nomen Getæ ſcripſiſſet, aut pronunciaſſet, adeout ne Poetæ quidem eo nomine in comœdiis deinceps uterentur, fuereque proſcripta bona eorum omnium, in quorum teſtamentis id nomen inventum eſt ſcriptum.* Et, ni fallor, aperte, quod jamdiu ex vetuſtis Scriptoribus elicere conamur, in Excerptis Valeſian. traditur pag. 747. *Sed, & odii ſui* (Caracalla) *etiam in mortuum fratrem ſpecimen dedit, ſublatis ludis, qui natali ejus fiebant: Succenſebat & SAXIS, quibus ejuſdem imagines ac ſtatuæ impoſitæ fuerant: monetam præterea illius imagine ſignatam conflavit.* Diſpeream, ſi his ponderatis ullus rerum æquus æſtimator Getæ nomen eraſum neget. Neque enim turbant, quæ ex eodem Spartiano adducit Fontaninus, quod nempe ſleverit Antoninus, quotiens Getæ imaginem videret, & quod eumdem inter Divos retulerit; Nam ſi recte perpendatur tota Caracallæ, Getæq: hiſtoria a Spartiano conſcripta, erit luce clarius Caracallam ſtatim poſt interfectum Getam omnia in eum efferati odii ſigna dediſſe, ut ſupra demonſtratum eſt: demum tumultuantibus populo, militibuſque, in ſanius abiiſſe conſilium, placandi nempe ignaros plebis, militumq: animos; proinde Getam inter Divos retuliſſe. Utiq:

non

non contemnendas fuiſſe ſeditiones, quæ Caracallam ab incæpto dimoverint, & ad ſimulationem induxerint, idem Spartianus teſtatur in Caracallâ. *Pars militum apud Albam Getam occiſum ægerrime tulit, dicentibus cunctis, duobus ſe fidem promiſiſſe liberis Severi, duobus ſervare velle, clauſiſque portis diu Imperator non admiſſus*: eademq: repetit in Getâ. Neque Albanos ſolum milites tumultum feciſſe, verum etiam Urbanos tradit idem Spartianus in Geta. *Ventum denique eſt uſque ad ſeditionem Urbaniciorum militum, quos quidem non levi authoritate Baſſianus compreſſit, Tribuno eorum, ut alii dicunt, interfecto, ut alii, relegato. Ipſe autem tantum timuit, ut loricam ſub lato habens clavo etiam curiam ſit ingreſſus, atq: ita rationem facti ſui, & necis Geticæ reddiderit*. In Senatu quoque, parum æquis auribus ſuam excuſationem acceptam, idem Spartianus ſcribit in Caracall. *In Senatu .... queſtus eſt de fratris inſidiis involute, & incondite ad illius accuſationem, ſui vero excuſationem, quod quidem nec Senatus libenter accepit*. Poſtquam igitur Antoninus crudelitatem inſatiabilem non ſolum in vivo, ſed etiam in mortuo fratre exercuiſſet, quum omnium ordinum animos in ſe commotos vidiſſet, ad ſedandam multitudinem conversus, fratrem divinis honoribus affecit. Hanc porro ſimulatæ pietatis cauſſam fuiſſe aperte teſtatur idem Spartianus in Getâ. *Nam Baſſianus, quum eum occidiſſet, ac vereretur tyrannicam ex parricidio notam, audiretq: poſſe mitigari facinus, ſi Divum fratrem appellaret, dixiſſe fertur, ſit Divus, dum non ſit vivus: denique eum inter Divos retulit, atq: ideo utcumq: rediit cum famâ in gratiam Parricida*.

Sed vetuſti lapides quæſtionem hanc omnino dirimunt, omnemque tollunt dubitationis anſam, niſi quis cæcutire in meridianâ luce velit. Et primo quidem eadem monumenta, quæ Fontaninus Plautiani nomine palam ſupplet, jure mihi expoſtulare cum eo videntur, quod tam præclara opera privati hominis potius, quam Cæſaris, nomine inſcripta eſſe voluerit. Atque ut exordium habeamus a nobiliſſimo Arcu in Clivo Capitolino, cujus hæc eſt Inſcriptio (literas eraſarum loco ſubſtitutas minio notavimus)

IMP.

Digitized by Google

IMP.CAES.LVCIO.SEPTIMIO.M.FIL.SEVERO.PIO.PERTINACI.AVG.PATRI.PATRIAE.PARTHICO.ARABICO.ET
PARTHICO.ADIABENICO.PONTIFIC.MAXIMO.TRIBVNIC.POTEST.XI.IMP.XI.COS.III.PROCOS.ET
IMP.CAES.M.AVRELIO.L.FIL.ANTONINO.AVG.PIO.FELICI.TRIBVNIC.POTEST.VI.COS.PROCOS.P.P
OPTIMIS.FORTISSIMISQVE.PRINCIPIBVS
OB.REM.PVBLICAM.RESTITVTAM.IMPERIVMQVE.POPVLI.ROMANI.PROPAGATVM
INSIGNIBVS.VIRTVTIBVS.EORVM.DOMI.FORISQVE.S.P.Q.R

Con-

Digitized by Google

Contendit doctiſſimus Scriptor, quartum ejùs Inſcriptionis verſiculum Plautiani olim nomine inſignem fuiſſe, quo eraſo illius ſpacium occupaſſe verba illa OPTIMIS FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS, & *literarum, quæ deſunt, numero religioſe ſervato*, hoc pacto ſupplet. ET. L. FVLVIO PLAVTIANO PR. PR. COMITI AVGG. Sed mihi videtur parum accurate eam Inſcriptionem luſtraſſe. Si enim illam diligenter obſervaſſet, vidiſſet profecto verbum ET, quod ipſe initio quartæ lineæ ponit, ultimis literis tertiæ lineæ fuiſſe, quo eraſo ſubſtitutum P. P. (*) Jam ergo evaneſcit numerus literarum religioſe in ſupplendo ſervatus. Evaneſcet porro, & nomen Plautiani, ſi attente conſiderentur fixuræ clavorum, quibus priores literæ continebantur, quas, dum Romæ commorarer, centies perluſtravi, &, quod potiſſimum eſt, quas admotis ſcalis Hadrianus Auzotus propius contemplatus fuit; a quo tamen paululum diſſentio. Ex illis igitur fixuris priores nominis Getæ literas confici autumo, nempe P. SEPT. ulterius enim contemplari nec operæ pretium duxi, nec oculi mei ſuſtinuiſſent. Et recte; neque enim aliter fieri potuiſſe, ratione edocemur. Quis enim umquam ſibi perſuadeat in publico monumento, ob Rempublicam bene geſtam, Imperiumq: Populi Romani propagatum a S. P. Q. R., Imperatori erecto, omiſſum fuiſſe nomen Getæ, qui & Severi filius erat, & Cæſareâ dignitate diu conſpicuus, ut privati hominis in illo nomen inſcriberetur. Huc accedit, quod Geta non ſolum Patris in expeditione Orientali comes fuit, Herodiano teſte, qui lib. III. ait: *Ipſe* (Severus) *interea ad Orientem rebus ſic compoſitis Romam revertebatur filios puberes ſecum adducens, confectoque itinere, ac Provinciis, ut cuique uſus foret, ordinatis, Myſorumque, & Pannoniorum recognitis exercitibus, Urbem dein triumphans invectus eſt;* ita ut jure laudari in eâ Inſcriptione triumphi merebatur, qui fuerat particeps laborum, & victoriæ; verum etiam cum ipſo patre, & Antonino fratre triumphavit, perinde ac cum Tito Domitianus adhuc Cæſar, ut apud ipſum etiam Illmum Fontaninum eſt in confeſſo: proinde nemo alius magis triumphali arcui poſt Severum, & Antoninum inſcribendus erat, quam Geta, qui cum ipſis Severo, & Antonino triumphavit. Hujus argumenti vim probe noſcens eru-

 ditiſſi-

(*) Patris Patriæ *appellatio ſoli dumtaxat Severo tributa, nec, niſi eo mortuo, Antonino delata. Inde intelligimus eraſionem illam poſt Severi obitum, nedum poſt Plautiani necem, factam fuiſſe.*

Digitized by Google

ditiſſimus Præſul, obſervavit Domitiani nomen, quamvis *equo ſingulari interfuerit* triumpho Titi, ut author eſt Zonaras lib. XI. Annalium, inſcriptum tamen non fuiſſe arcui Titi adhuc extanti; inde negat hinc nequaquam aditrui, Getam lectum fuiſſe in arcu Septimii, quum Domitianus pariter abſit ab arcu Titi. Verum, præterquam quod arcus Titi non ob triumphum Judaicum erectus fuit: poſuit enim illum Senatus, Populuſque Romanus Tito jam vitâ functo, quod & ex Apotheoſi ejuſdem in ſummo arcus tholo expreſſa, & ex Inſcriptione, quâ Divus appellatur, palam fit, ut optimi Principis memoriam grati animi monumento proſequeretur, ſat erit, ut doctiſſimi Viri argumentationem infirmemus, ultro profiteri, nos in arcus Septimii Inſcriptione nomen Getæ reponere, non quod piaculum putemus abeſſe Getam ab Inſcriptione, quæ patrem, ac fratrem laudat (abeſt enim ab aliâ æque celebri, quæ in fronte porticus Panthei conſpicitur, nec illam quiſquam ſollicitat) ſed quia, quum ſit alicujus ibi nomen reponendum, quod eraſum fuiſſe liquido conſtat, nemo certe potiori jure locum in eâ ſibi vindicat, quam Geta. Non ignoro Plautianum Severo jam tum cariſſimum, magnoque ob id apud omnes in honore fuiſſe; tamen neque gratiâ apud Severum, neque dignitate apud Romanos Getam adeo ſuperaſſe evincitur, ut Getâ neglecto in eximio illo Romanæ magnificentiæ monumento inſcribi ipſe debuerit; præſertim quum, quando is arcus erectus fuit nondum Plautianus affinitatis vinculo Severo junctus erat, ſi Herodiano credimus, qui inter Severi triumphum, & Antonini nuptias aliquantiſper interceſſiſſe oſtendit, narrans poſt Severi triumphum fraternas cœpiſſe Antonini, & Getæ diſcordias, eoſque Severum reducere in gratiam, & emendare conatum fuiſſe. Tum (ſubdit Herodianus) *Baſſiano, qui honores Imperatorios adeptus* (*) *Aurelius Antoninus accepto Marci prænomine vocabatur, ac major natu erat, uxorem dedit filiam Plautiani Præfecti cohortibus urbanis.* Etſi Antoninus eodem anno CCIII. Plautillam duxerit, ut Viri docti obſervant.

In ſupplendâ pariter Inſcriptione, quæ exſtat in Grut. p. XXXIX. 3., & ex quâ Plautiani ſalutem pari precio habitam fuiſſe, ac ipſorum Auguſtorum aditruit, nimium conjecturæ ſuæ indulſiſſe doctiſſimum Præſulem dolemus; ea ſic habet:

DIA-

(*) *Ita profecto reſtituendus hic locus; quem corrupte vertit Politianus;* qui honores Imperatorios adeptus Severus Antoninus, accepto Marci cognomine vocabatur. *Severi tamen cognomentum Antonino tribuunt plura Græca numiſmata, quæ vide in Goltz. Theſaur.*

# DIANAE

PRO SALVTE

IMP . L . SEPTIMI SEVERI ET

M . AVRELI ANTONINI

AVGG ET

ꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁ

IVLIAE AVG . MATR . CASTR.

ꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁꞁ

Ille vero in ſextâ lineâ Plautiani, in octavâ Plautillæ nomen reſtituit. Ego porro perſuadere mihi non poſſum, votum Dianæ fuiſſe ſuſceptum pro ſalute Severi, Antonini, Plautiani, Juliæ, & Plautillæ, non autem Getæ, nec intelligere quo pacto nomen Plautiani privati, iterum dicam, hominis præpoſitum fuerit nomini Juliæ Auguſtæ. Equidem vota PRO SALVTE IMP . L . SEPTIMI SEVERI PERTIN . ET M . AVRELI ANTONINI AVGG . ET GETAE FRAT . CAESS . ET . IVLIAE DOMNAE MATRIS SENAT . ET MAT. CASTRQR . ET CAESS . fuiſſe ſuſcepta, docet Gudiana Inſcriptio pag. VIII. 3., & pro SALVTE D . N . IMP . CAES . L . SEPTIMI SEVERI AVG . TOTIVSQ . DOMVS EIVS marmor Lugdunenſe ex ſchedis Barberinis. Quare ſextam lineam nomine Getæ proculdubio ſupplendam exiſtimo. An in octavâ fuerit Plautillæ nomen, nec ne, viderint Eruditi.

In altero Arcu in Foro Boario luculenta exſtat Inſcriptio duobus locis eraſa, aliiſque verbis ſuppleta

IMP.CAES.L.SEPTIMIO.SEVERO.PIO.PERTINACI.AVG.ARABIC.ADIABENIC.PARTH.MAX.FORTISSIMO.FELICISSIMO

PONTIF.MAX.TRIBVNIC.POTEST.XII.IMP.XI.COS.III.PATRI.PATRIAE.ET

IMP.CAES.M.AVRELIO.ANTONINO.PIO.FELICI.AVG.TRIB.POTEST.VII.COS.III.P.P.PROCOS.FORTISSIMO.FELICISSIMOQ.PRINCIPI.ET

IVLIAE.AVG.MATRI.AVG.N.ET.CASTRORVM.ET.SENATVS.ET.PATRIAE.ET.IMP.CAES.M.AVRELI.ANTONINI.PII.FELICIS.AVG

PARTHICI.MAXIMI.BRITTANICI.MAXIMI

ARGENTARI.ET.NEGOTIANTES.BOARI.HVIVS.LOCI.QVI INVEHENT.DEVOTI.NVMINI.EORVM.

Ter-

Tertii verſiculi eraſio incipit poſt verbum COS. eam ita reſtituit Fontaninus:

L. FVLVIO PLAVTIANO C. V. PR. PR. COMITI AVGG.

eraſionem vero quinti verſiculi hoc pacto

VXORI FVLVIAE PLAVTILLAE AVG.

Ego vero quid fuerit in quinto verſiculo nolo divinare; Imo ſi jam Antoninus Plautillam uxorem duxerat, ejus ibi nomen fuiſſe, lubens concedo. Illud tamen ſumo, in tertio verſiculo non Plautiani nomen fuiſſe, ſed Getæ. Mitto alias jam inculcatum argumentum, quod nempe veriſimile non eſt, præpoſitum fuiſſe in publicis monumentis nomini Juliæ Auguſtæ nomen Plautiani. Equidem certum eſt, ejuſdem fuiſſe nomen eraſum in Inſcriptione, cujus in ſignis militaribus ad latus arcus inſculptis eraſa cernitur imago; tres enim fuerant olim in iis imagines: media Severi: ſuperior Antonini: inferior vero eraſa eſt. Porro abſurdum eſſet dicere, eam fuiſſe imaginem Plautiani; Quando enim umquam in ſignis militaribus privatorum effigies præpoſitæ exercitibus leguntur? Certe hoc erat adepti Imperii ſignum. Non ignoro Tiberium permiſiſſe Sejani imaginem inter principia legionum coli, ut author eſt Tacitus Annal. lib. IV. Cap. II. Sed id poſtea vetitum fuiſſe animadvertit Bulenger. de Imp. lib. II. Cap. 12. Profecto nullum aliud in totâ antiquitate reperitur exemplum: nec credibile eſt, ſi huc Severi in Plautianum indulgentia proceſſiſſet, tot Scriptores, qui ejus potentiam, divitias, dignitatem literis conſignarunt, ampliſſimum hoc honoris ſignum ſiluiſſe: imago igitur illa Getam expreſſit, ut Severi, liberorumque effigies militare ſignum contineret; fuit enim illud ſolenne, ut non ſolum Auguſti, verum etiam Cæſarum imagines exercitui præponerentur. V. Herodian. lib. VIII. Euſeb. de vita Conſtantin. lib. I. Cap. 31. Notanda quoque eſt eraſio integræ figuræ, quæ prope Antoninum ignitæ aræ thus infundebat. Inde ſatis valida oritur conjectura, fuiſſe illam Getæ imaginem, ut tota Auguſta familia in eo arcu viſeretur, hinc Antoninus, & Geta fratres: inde vero eorum parentes Severus, & Julia. Sed illud omnem omnino dubitationem tollit, quod eraſorum verborum loco BRITANNICI MAXIMI co-

gno-

gnomentum Antonino additur. Non potuit igitur ea eraſio fieri niſi poſt annum CCX. Æræ Chriſtianæ, quo Britannici appellationem aſſumpſit Caracalla, ut ſolide probavit Pagius ad annum Ch. CCIX. n. 11.: Imo niſi poſt annum CCXI. quo deceſſit Severus pater, quum inter omnes conſtet MAXIMI titulum, qui appellationi BRITANNICI jungitur, vivente patre Antonino tributum non fuiſſe, quæ omnia ipſemet eruditiſſimus Præſul docet, licet in Græcâ Inſcriptione apud Reineſ. Cl. III. 36., quam tot eruditos Viros fugiſſe miror, Caracalla adhuc vivente patre *Parthicus Maximus* dicatur ΚΑΙ ΜΑΡΚΟΥ . ΑΥΡΗΛΙΟΥ . ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ . CΕΒΑCΤΟΥ . ΑΡΑΒΙΚΟΥ . ΑΔΙΑΒΕΝΙΚΟΥ . ΠΑΡΘΙΚΟΥ . ΜΕΓΙCΤΟΥ . Quum autem Plautianus occiſus fuerit anno Æræ Ch. CCV. ut ſuppuiat longe accuratiſſimus Tillemontius, & ab eodem Fontanino ſtatuitur, quis ſibi perſuadeat Plautiani nomen, non ſtatim, ut decuit proditorem, qui eos Principes, quorum beneficio ad tantas opes, potentiamque pervenerat, occidere per ſummum ſcelus tentaverat, ſed poſt integrum fere ſeptennium, poſteaquam in omnium ore, atque oculis tamdiu fuerat, eraſum fuiſſe? Ex eadem titulorum redundantiâ, quibus Antoninus ſupra patrem inſignitur in veteri Inſcriptione a Sponio primum Miſcellan. Sect. VIII. p. 270. ex Suareſio, & a Gudio deinde p. XCIII. 3. ex Salmaſii ſchedis editâ, manifeſto Getæ nomen in eâ olim fuiſſe deheprenditur: non enim fieri potuit, ut in eadem Inſcriptione Severus pater nude PIus PERTinax AVGuſtus diceretur; Caracalla vero filius PIus FELix AVGuſtus PARTHicus MAXimus BRITANNicus MAXimus Pater Patriæ. (*)

Inſcriptio quoque dimidiata, & mendis fatiſcens, quæ edita primum fuit a Reineſio Cl. I. 119., deinde vero ex Hortis Juſtinianis integrior a Fabretto, Inſcr. Dom. Cap. X. n. 107., ac demum in Gudianâ Collectione p. XLVII. 6. multo auctior prodiit, non minori violentiâ Plautiani, & Plautillæ nominibus ſuppletur. Ea ſic habet:

FOR-

(*) *Idem dixeris de aliis Inſcriptionibus, quæ in Grutero occurrunt pag. XI. 5. XII. 1. CCLXIV. 5. in quibus omnibus Antoninus nimio plus titulis afficitur.*

Digitized by Google

FORTVNAE . AVG
PRO . SALVTE . ET . REDITV
DOMINORVM . N . ////////
SEVERI . PII . FIL
ANTONINI . AVG . ///////
///////////////////////////////////////
ET . IVLIAE . AVG . MATRIS.
AVG ///////////////////////////////////
ANTONIVS . LIB
PROXIMVS . A . LIBELLIS
VOTO . SVSCEPTO
D D

Ita ſupplet Fontaninus:

ANTONINI . AVG
L . FVLVII . PLAVTIANI . PR . PR
ET . IVLIAE . AVG . MATRIS
AVG . ET . FVLVIAE . PLAVTILLAE . AVG

Sed præter rationes ſupra adductas, illud ab eruditiſſimo Viro primum quæro, quorſum abierat cum Antonino Plautianus, & cum Juliâ, & Plautillâ, ut pro ejus ſalute, & reditu vota ſuſcepta fuerint? Deinde num viderit umquam ævo Severi privatum hominem in publicis monumentis *Dominum* appellatum? Bellorius certe & cum eo univerſus eruditorum chorus *Dominorum NN.* appellationem exiſtimavit ad viventes dumtaxat Principes pertinuiſſe. An putamus Severum, qui teſte Spartiano in Sever., *Plautianum ex amiciſſimo cognitâ ejus vitâ ita odio habuit, ut eum hoſtem publicum appellaret, & depoſitis ſtatuis ejus per Orbem terrarum gravi eum inſigniret injuriâ,* ira-

*iratus præcipue, quod inter propinquorum, & affinium Severi ſimulacra, ſuam ille ſtatuam poſuiſſet:* & qui Plautiano in gratiam recepto, ejuſque filiâ Antonino copulatâ, quum ejuſdem faſtum, ut auctor eſt Herodianus libro III., *cognoviſſet, ne ipſe quidem prorſus æqui, boni facere, ſic ut nonnihil etiam de illius auctoritate detraheret, ac perſuadere homini conaretur aliquid e tantâ inſolentiâ minueret:* imo *quum plures*, ut ex Dione ſcripſit Xiphilinus, *eſſent ſtatuæ Plautiano factæ.....iniquo animo ferens tantam ſtatuarum multitudinem, diſſipare quaſdam ex eis cœpit*, æquo demum animo tuliſſe, in publicis monumentis eumdem *Domini* appellatione inſigniri? Cenſeo itaque hoc pacto ſupplendam Inſcriptionem:

ANTONINI . AVG . ET

SEPTIMI . GETAE . CAES

ET . IVLIAE . AVG . MATRIS

AVGVST . ET . CAES

Vel potius, ut aperte dicam quod ſentio, ita:

ANTONINI . AVG . ET

SEPTIMI . GETAE . AVG

ET . IVLIAE . AVG . MATRIS

AVGVSTORVM

ſeu AVGG . ET . CAESS, ut eſt in ſiniſtro latere ejuſdem Baſis a Gudio edito. Magna enim oritur mihi ſuſpicio, hanc Inſcriptionem, quum in eâ pro SALVTE ET REDITV Severi vota non ſuſcipiantur, nec ipſe appelletur *Dominus*, nec *Auguſtus* (præſtat enim Fabretti, & Fontanini exemplar ſequi) poſitam fuiſſe non modo poſt mortem Plautiani, ſed poſt mortem etiam ipſius Severi, antequam hic per Apotheoſin inter Cœlites referretur, qui ideo non dicitur *Divus*, PRO SALVTE ET REDITV ANTONINI *&* *Getæ*, qui Imperii jam compotes ex Britanniâ, ubi Severus pater deceſſerat, ejus cineres deferentes, Romam cum Juliâ matre redierunt.

Huc uſque cum doctiſſimo Viro ſuis armis certavimus, iiſdem nempe monumentis, quibus ipſe eraſionem nominis Getæ exclu-

excludit. Producenda nunc ſunt noſtra, plurima videlicet vetuſta marmora, quæ neceſſario eamdem eraſionem evincunt. Et primo quidem tam noſter hic lapis, quem illuſtramus, quam duo alii a Fabrett. in Syntagm. de Col. Trajan. Cap. II. p. 38. editi, itemque alii apud eumdem Fabrett. Inſcr. Dom. Cap. IV. n. 97., & n. 497., qui omnes *magis adhuc accuratâ malignitate*, ut idem Cl. Scriptor notavit, *ſive notam pluralitatis filiorum amiſerunt*, *ſive N literam in vicem G receperunt*, *ut Auguſti Noſtri*, *ſolius nempe Caracallæ nomen vel inviti propagarent*: improbum Antonini ſtudium, omnis Getæ fratris quantumlibet levis memoriæ tollendæ, manifeſto oſtendunt. Clarius id evincitur ex æreâ laminâ ad eodem Fabretto laud. Cap. 2. de Col. Trajan. p. 37. vulgatâ, in qua bis nomen Getæ eraſum eſt, ſemel initio lineæ ſecundæ, iterum in lineâ quartâ, ubi ſecundus ejus Conſulatus habebatur: ita tamen in eâ *deletum nomen Getæ apparet*, *ut indubia nominis ipſius veſtigia ſuperſint*, ut ipſemet doctiſſimus Fabrettus teſtatur.

His omnibus duæ aliæ accenſendæ ſunt Inſcriptiones, [plures prætereo, perſpicuæ enim tantum, & evidentes in medium proferendæ ſunt], quas Illm̄um Præſulem non vidiſſe miror. Utraque exſtat in Grutero. Prima p. XXXII. 10.

SOLI.AETERNO.LVNAE

PRO.AETERNITATE.IMPERII

ET.SALVTE.IMP.CA... SEPTIMI.SEVERI

AVG.PII

ET.IMP.CAES.M.AVRELI.ANTONINI

AVG.PII

////////////////////////////////////////// CAES

ET.IVLIAE.AVG.MATRIS.CAES

DRVSVS.VALERIVS.CAELIANVS.&c.

Septimum verſiculum Getæ nomine inſignem olim fuiſſe dubitari non poteſt, præſertim quum CAESaris titulus in marmore integer remanſerit. Altera pag. CL. 5. In eâ IMP. CAES.. ....L . SEPTIMIVS SEVERVS..... TRIB . POT . XV. IMP. XII. COS . III. P . P . ET IMP . CAES ............

M.AVRELIVS.ANTONINVS. AVG

PIVS.FELIX. PONTIF. TRIB. POT. X.IMP. II.COS. III.DES.

FORTISSIMVS . AC . SVPER

OMNES FELICISSIMVS

PRINCEPS

VIAM.QVAE.DVCIT.IN.VILLAM.MAGNAM

SILICE.SVA.PECVNIA.STRAVERVNT

Tres verſiculi ante duos ultimos loco plurium abraſorum ſubſtituti ſunt : ibi vero Getæ nomen inſcriptum olim fuiſſe tam certum eſt, quam quod certiſſimum . Neque hic Plautianus produci poterit . Poſita enim eſt Inſcriptio Anno Ch. CCVII., quod non tam ex Tribuniciâ Poteſtate XV. Severi , & X. Antonini , quâ & Annus CCVII., & Annus CCVIII. notantur , quam ex deſignatione tertii Conſulatus Antonini , quem geſſit Anno Ch. CCVIII., eruitur: poſita igitur biennio poſt mortem Plautiani, quem Anno CCV. interfectum fuiſſe , auctoritate Tillemontii, & ipſiuſmet Fontanini ſupra ſtatuimus. Eam igitur præcipue non ſecus ac reliquas Getæ tribuimus, nec veremur a celebris Viri opinatione diſcedere, quum non contentionis ſtudio , ſed veritatis amore in appoſitam ſententiam concedamus.

X X.

Digitized by Google

## X X.

VUlgavit Gruterus p. CCLXXII. 8. Ex deſignatione ſecundi Conſulatus Philippi, quem geſſit Anno Ch. CCXLVII., eruitur, hanc illi Inſcriptionem a Piſaurenſibus poſitam fuiſſe Anno Ch. CCXLVI.

## X X I.

EDidit Gruterus p. MLXXXV. 12.; & ex eo Bandurius in notis ad Nummos aureos Salonini Valeriani, Gallieni Aug., & Saloninæ filii.

## X X I I.

HAnc Inſcriptionem, quæ ex Atrio Ducalis Aulæ in Prætorium ſuperioribus annis translata fuit, vulgavit Gruterus pag. CCLXXVI. 3. Quando effoſſa fuerit diximus ſupra Not. IV. poſitam fuiſſe eodem ferme tempore, quo altera, quam n. IV. collocavimus, vel ex eo evincitur, quod utriuſque idem C. IVLIus PRISCIANus CVRAm egerit. Quando autem utraque poſita fuerit, jampridem docuit laudatus Æmilius Mancinius in Præfat. ad Statut. Piſaur.: *tres enim*, inquit, *Aurelianus habuit victorias in Italiâ, unam juxta Placentiam, aliam juxta Ticinum, aliam, ex quâ hae Statua fuit erecta juxta Metaurum Flumen, & Urbem Fani.* Idem tradit Sebaſtianus Maccius lib. I. de Port. Piſaur. Cap. XII. his verbis: *Fuit autem Aurelianus Imperator victorioſiſſimus, & fortunatiſſimus; ex tribus namque certaminibus in Italiâ victoriam reportavit, ſemel juxta Placentiam, iterum apud Ticinum amnem, tertium inter Metaurum Flumen, ac Fanum Fortunæ: atque propter hoc ei hæc Statua fuit erecta.* Hujus Metaurenſis Victoriæ meminit Aurelius victor in Epitom. *Iſte in Italiâ tribus præliis victor fuit apud Placentiam, juxta amnem Metaurum, ac Fanum Fortunæ, poſtremo Ticinenſibus in Campis.* Quâ vero de cauſâ doctiſſimus Anſelmus Bandurius Tom. I. p. 38. ad Placentinam Aureliani Victoriam Inſcriptionem noſtram pertinere putaverit, prorſus non video; quum præſertim æquius fuerit, Piſaurenſes Statuas ei poſuiſſe ob Metaurenſem Victoriam, tum ob ſummam loci vicinitatem, in quo fuſi hoſtes fuerant, cum etiam, quia eorum ſævitiam perpeſſi fuerant, adeoque eo major fue-



Digitized by Google

rit. Victoriæ gratulatio, quo gravior erat metus, triſtiorque clades fuiſſet. Mancinii, & Maccii ſententia egregie confirmatur ex eo, quod narrat Hadrianus Neguſantius J. C. Fanenſis in Sylva Reſponſ., & Practic. Diſput. poſt Quæſt. CCCXXXIX. ait itaque: *His temporibus in Agro Fanenſi, ubi olim erat Templum Divi Mauri, inventus eſt lapis marmoreus, ſeu ſtylobates quadratus, altitudinis ſeptem pedum, & ultra, miræ venuſtatis cum Coronâ Civicâ, Trophæis, & aliis inſigniis in eo ſculptis, quem olim Reſpublica Fanenſis erexit AETERNAE memoriæ Aureliani Imp. invictiſſimi ob partam Victoriam contra Dacos in prælio illo memorabili inter Fanum Fortunæ, & Metaurum, de quo meminit Vopiſcus in ejus vitâ, & Sext. Aurelius Victor in Epitome. Sed, proh dolor! diebus proximis, ut audio fuit in plures partes diſciſſus &c.*

AETERNAE Jure ac merito AETERNAM appellarunt Piſaurenſes Aureliani Victoriam, quæ eos a barbarico terrore, a vaſtitate, a rapinis, a cædibus liberaverat, & fuſis, deletiſque ad internecionem Barbaris æternam pacem pepererat. AETERNA quoque hæc Aureliani Victoria dicebatur in Inſcriptione Fanenſi, quam iiſdem fere verbis exaratam fuiſſe, ac noſtra Piſaurenſis, laudatus Neguſantius innuere videtur. Cæterum Victoriæ Principum etſi minoris fortaſſe momenti, illo præſertim ævo AETERNAE indecorâ adulatione non ſemel dictæ ſunt, ut numiſmata Gallieni, Maxentii, & Licinii fidem faciunt. Antiquior tamen Inſcriptio VICTORIAE AETERNAE aream ab Hadriano Aug. reſtitutam memorat apud Gudium pap. LXI. 5.

P. P. M. I. R; *Publice poſuit merito jure*. Ultimum verbum IVRE minoribus literis inſculptum oculos omnium adhuc effugit. Porro non inſolens eſt in vetuſtis lapidibus mos ille ſcribendi literis ſuperimpoſitis.

## XXIII. XXIV.

DUæ hæ Inſcriptiones exſtant in eâdem Columellâ Anno D. MDCLXII. Fanum verſus effosſâ, quæ olim ad D. Franciſci de Paulla proſtabat, nunc PP. illius Cœnobii munere apud me domi ſervatur. Prima Conſtantium Conſtantini Magni F. laudat: altera Valentinianum, & Valentem Augg., ex eo fortaſſe, quod ii omnes Imperatores viam Flaminiam vetuſtate conlapſam reſtituerint, vel milliarios lapides reponendos curaverint. B.R.P.N.

Digitized by Google

B . R . P . N . Literis paullum detritis . *Bono Reipublicæ nato* . Hæc appellatio iis temporibus maxime in uſu ; non ita primo Eccleſiæ ſeculo, ut in Lucenſi Inſcriptione a quopiam male feriato homine confictâ, quam protulit Boldonius Epigr. Oper. lib. 4. Eam vero a Reineſio, Boldonio cæterum ſatis infeſto, velut genuinam acceptam, editamque Cl. III., 74., & a Sponio Miſcell. Sect. V. p. 168. valde miror. Primus omnium, quos vidi, Caracalla bono Reipublice natus dicitur in veteri Inſcriptione apud Gudium p. LXXI. 1. ſi quidem verſiculus ille non ad aliam potius Inſcriptionem pertinet; Id vero vel ex hoc ſuſpicor, quod in eâ erronee dicatur *Bono Reip.* NATO . M'. AVRELIVS &c.

CLXXXVII. Notæ numerales, quæ priuſquam Columna in meas manus veniſſet, latebant, quum in imâ ejuſdem parte eſſent, patuerunt nunc, & fidem liberarunt Collectionis MSS. Inſcriptionum Piſaurenſium, alias laudatæ a Dominico de Abatibus Oliverio concinnatæ: ea enim ſola illas habebat. Perſpicuum eſt igitur, liquidoque ex hâc Inſcriptione conſtat [ quum effoſſa fuerit ſecundo circiter ab Urbe milliario in agro Antonii Baldi, extra Portam Faneſtrem, ut diximus ] Piſaurum pro veteri Geographiâ per viam Flaminiam Româ diſtaſſe M. P. CLXXXVIIII. Sed quoniam vulgatæ Itinerarii, quod Antonino Aug. tribuitur, editiones multum diſcrepant, erit operæ pretium, totum iter ab Urbe Piſaurum ita emendatum hic proponere, ut cum Columellæ noſtræ teſtimonio conveniat. Emendationum vero rationem in ſubjectas notationes conjeci.

Ab Urbe

| | | | |
|---|---|---|---|
| | Roſtratam Villam | M. P. | XXIV. |
| 1 | Ocricolos Civitatem | M. P. | XXI. |
| 2 | Narniam Civitatem | M. P. | VII. |
| 3 | Interamniam Civitatem | M. P. | VI. |

4. Spo-

1 *Ita numerum hunc reſtituit Holſtenius in Notis ad Ital. Antiq. Cluverii pag. 528. lin. 13. ; ut totum intervallum ab Urbe Ocriculos ſit M. P. XLV. Paullum differt Itinerarium Hieroſolymitanum, in quo ab Urbe Ocriculos habentur M. P. XLIV.*

2 *Tabula Peutingeriana habet M. P. VII. ſed excidit Narniæ nomen. Antoninus, & Hieroſolymitanum XII. Sed profecto V abiit in X. Nam ſeptem tantum milliaria ab Ocriculis Narniam fuiſſe L. Holſtenius viam diligenter permenſus teſtatur in iiſdem Annotat. ad Cluverii p. 526. lin. 23.*

3 *Antoninus habet VIII. Hieroſolymitanum IX. Tabula vero* Interamnio VI. *Et recte, vel eodem Holſtenio teſte in Annot. ad p. 635. lin. 52. Ital. Antiq. qui id etiam iter accurate permenſus eſt.*

Digitized by Google

| | | |
|---|---|---|
| 4 Spoletium Civitatem | M. P. | XVI. |
| 5 Forum Flaminii Vicum | M. P. | XVIII. |
| 6 Helvillum Vicum | M. P. | XXXII. |

7. Cal-

4 *Antoninus juxta Hieronymi Suritæ, & Petri Bertii editiones habet M. P. XVIII. In aliis vero ejuſdem Antonini editionibus, quas vidi, nempe in Veneta Alexandri Paganini 1521., & in Lugdunenſi 1539. habentur. M. P. XIII. Hieroſolymitanum vulgatæ editionis M. P. XX. ita nempe*

| | |
|---|---|
| Tribus Tabernis | III. |
| Fano Fugitivi | X. |
| Spoleto | VII. |

*Sed ſi ex mente Holſtenii numerus milliarium, quæ a Tribus Tabernis ad Fanum Fugitivi intercedunt, levi immutatione in V corrigatur, evadent M. P. XV. Tabula Peutingeriana habet M. P. XVIII. hoc pacto.*

| | |
|---|---|
| Adtine Recine | XI. |
| Fano Fugitivi | II. |
| Solete (*l. Spoleto*) | V. |

*Et Holſtenius levi item immutatione hos numeros ita reſtituit, primum in VI, ſecundum in V, ita ut ſint in univerſum ab Interamna Spoletium uſque M. P. XVI., quam correctionem ex accurata locorum dimenſione confirmat in laud. Annot. ad p. 635. lin. 55. Tanto igitur Viro ſponſore non dubitavi M. P. XVI. reponere; quum præſertim concordare videantur vetuſtiores illæ Antonini editiones, in quibus, ſi duæ priores unitates, quæ per errorem Librariorum fortaſſe diſgregatæ fuerunt, in V quinarium numerum reſtituantur, erunt itidem M. P. XVI. Accedit Cluverii auctoritas, qui iter illud emenſus ſcripſit.* Inter Spoletium, & Interamnam vulgo hodie incolis numerantur milliaria XII. Cæterum re vera ſunt millia paſſuum juſta XIIII. *Jam vero recentia M. P. XIV. (de recentibus enim milliaribus non de antiquis Cluverium ſcripſiſſe non eſt cur dubitemus) milliaria circiter XVI. antiqua confeciſſe quis neſcit?*

5. *Ita habetur in editione Itinerarii Petri Bertii: in altera Suritæ XIX. Cum editione Petri Bertii concordat Hieroſolymitanum, ſi ex mente Holſtenii in Annotat. ad pag. 632. It. Ant. lin. 10. contrahantur aliqui milliarum numeri. Hanc itaque lectionem prætulimus; huic enim Tabula etiam Peutingeriana ab eodem Holſtenio emendata teſtimonium reddit.*

6 *En locus, quem emendavi, ut cum lapide noſtro, imo cum ipſa via Itineraria antiqua conveniant. Antonini editiones habent M. P. XXVII. item Tabula: conſonat Hieroſolymitanum; Ego vero corruptos numeros puto, & fœde corruptos, & XXXII. reſtituo hoc pacto. Sit forum Flaminii ubi nunc Caſtrum Sancti Joannis* in Forfiamma, *ut recte ex Pontano de Antiq. Fulgin. ſtatuit Holſtenius in laudatis Annotationibus in Ital. Ant. & in Annot. ad Theſaurum Ortelii. Ab eo ad Vicum ad Tiniam, ſive Tupinum amnem ſitum, qui nunc a veteris operis Ponte, qui interruptus ibidem conſpicitur,* Ponte Centeſimo *dicitur, ſex milliaria integra ſunt, quæ pro majori antiquorum milliarium brevitate, VIII. numeranda ſunt, ut præſertim integer numerus M. P. C. evadat ab Urbe ad hunc vicum, quem olim* Ad Centeſimum *dictum facile mihi perſuadeo, quia Centeſimo ab Urbe lapide abeſſet, quod hodierna etiam appellatio teſtatur. Inde Nuceriam M. P. VII. eſſe ſcribit Cluverius Ital. Ant. lib. 2. Cap. 7., & quidem longiſſima eſſe ego, qui non ſemel illa citatis equis emenſus ſum, affirmare poſſum. Ea vero pro IX. ab antiquis numerata fuiſſe ſine controverſia ſtatuo, ita ut a Foro Flaminii Nuceriam uſque ſint M. P. XVII. Profecto hunc numerum repreſentarunt olim Tabula Peutingeriana, & Hieroſolymitanum. Prima habent* Nuceria Camellaria *XII. Alterum* C. Nuceria *XII. Utrobique excidit quinarius numerus V, quo repoſito evadent M. P. XVII. Nuceria vero Helvillum olim Suillium, nunc* Sigillo *M. P. XV. diſtaſſe conveniunt Tabula, & Hieroſolymitanum, in quo corrupte ſcribitur* Mu. Hellebelloni, *pro* Mutatio Helvillo, *aut* Helvillum. *Et confirmat Cluverius, qui iter permenſus M. P. XIII. recentia intercedere teſtatur, quæ proculdubio pro XV. antiquis computanda ſunt. Totum hoc igitur intervallum ita ſtatuo*

| | | |
|---|---|---|
| *Foro Flaminii* | | |
| *Ad Centeſimum* | *M. P.* | *VIII.* |
| *Nuceriam Civitatem* | *M. P.* | *VIIII.* |
| *Helvillum Vicum* | *M. P.* | *XV.* |

*quæ omnia conficiunt M. P. XXXII. Tabulas, & Hieroſolymitanum levi negotio modo conciliavimus; leviori conciliabimus Antoninum, in quo, dummodo quinarius numerus V. productis cruribus in decuſſim X vertatur, erunt itidem M. P. XXXII., ut propoſuimus.*

Digitized by Google

| | | |
|---|---|---|
| 7 Callem Vicum | M. P. | XXIII. |
| 8 Forum Sempronii | M. P. | XVIII. |
| Fanum Fortunæ | M. P. | XVI. |
| Piſaurum | M. P. | VIII. |

Quæ conficiunt M. P. omnino CLXXXVIIII., quot Româ diſtaſſe Piſaurum, evidenti Columnæ noſtræ teſtimonio deprehenditur. Huic aliud adjungere poſſemus ex Inſcriptione Fanenſi petitum, olim a Grutero pag. CCLXXIX. 2. nuper in Collectione Donianâ Claſ. II. 107. editâ; Sed deſcriptorum incuriâ corruptus numerus prius eſt reſtituendus. Ea Inſcriptio in Columnâ rudi habebatur; vel ex hoc milliariam fuiſſe intelligas. Diocletianus, & Maximianus Augg. Conſtantius, & Maximinus Cæſſ. laudantur: poſt duas lineas vetuſtate conſumptas ita clauditur Inſcriptio ROM. C. XCI.; tres enim verſiculi, qui in Collectione Donianâ adduntur, alterius ſunt Inſcriptionis, illius nempe, quæ in fronte arcus viſitur adhuc, & a Grutero vulgata eſt pag. CLXII. 2. Profecto ſi Inſcriptio prope dictum Arcum inventa fuit, ut olim audiſſe memini, non dubito fuiſſe in eâ olim A. ROMA. CXXCI. primum autem X ætate exeſum a Smetio, ex quo Gruterus illam edidit, neglectum fuiſſe omnino, a Manutio vero, ex cujus ſchedis in Collectionem ſuam intulit Donius, poſt centenarium numerum C punctum ſubſtitutum fuiſſe. Hoc pacto Fanenſis Columellæ numero emendato, ea cum noſtrâ itidem Columellâ plane concordabit. Si enim octo milliaria, quibus Fano Piſaurum diſtat, illis CXXCI, quæ profert Fanenſis Inſcriptio, addas, erunt porro ab Urbe Piſaurum M. P. CLXXXVIIII., quot vere fuiſſe ex Columellâ noſtrâ deheprenditur.

Illud Inſuper adnotandum eſt, quod nempe antiquior alia Inſcriptio in hac eâdem Columellâ eraſa fuit, ut illi quæ Valentiniano, & Valenti dicata eſt, locus fieret. Indignum ſane facinus, quod nollem Veteres noſtri feciſſent, ne recentiores ea, quæ quotidie in vetuſta monumenta ſæve committunt, antiquo aliquo exemplo tueri poſſent. XXVII.

7 *Ita emendatiores Antonini editiones Suritæ, & Bertii: in alias enim vetuſtiores tertia decuſſis irrepſerat. Parum differt Hieroſolymitanum, in quo tamen emendandus eſt titulus* Mu. adheſis *in* mutatio ad Enſem, *ut expreſſe habent Tabulæ; in his quoque corrupte ſcribitur* ad Calcem *pro* ad Callem. *Numeros jampridem Holſtenius emendavit.*

8 *Ita omnes Antonini Editiones, & Hieroſolymitanum, in quo habetur*

Mu. Interciſa VIIII.
C. Foro Simpronii IX.

*Variant Tabulæ, ſed corruptos eſſe numeros nemo non videt. Reliqua ſatis plana ſunt, nec ampliori indigent commentario.*

Digitized by Google

## XXVII.

Tabula hæc lapidea pulcherrimam, & eruditiſſimam exhibens Inſcriptionem effoſſa fuit ad D. Antonii, ac in porticum Publici Palatii inde adveкta. Primum, ſi recte novi, a Camillo Lilio in Hiſtoriâ Camerini edita fuit, deinde a Cl. Fabretto Inſcr. Dom. Cap. X. n. 171.; poſt in Notis ad Etruriam Regal. Dempſteri lib. III. Cap. 3.; tum in Collectione Gudianâ pag. XCVIII. *6.*, poſtremo multo accuratius inter diſſertationes Academiæ Etruſcæ Cortonenſis ſuperiori anno Romæ impreſſas.

Quotquot Inſcriptionem ediderunt, prænomen Titi Atio Haruſpici aſſignaverunt; at fractum & detritum ibi marmor committere id nobis non ſinit; imo, quantum conjecturâ aſſequi poſſumus, integrum prænomen Haruſpicis deeſt in marmore: litera vero, cujus veſtigia in ſuperiori parte fugientia conſpiciuntur, non T, ſed F prima nominis Haruſpicis illius fuit, quem proinde non *Atium*, ſed *Fatium* appellatum conſtaret; nullum ſiquidem punctum, nullum intervallum inter literam illam, & ſequentem A deprehendi poteſt, contra iſtius ipſius Inſcriptionis morem, in quâ verba puncto, ac mediocri etiam intervallo diſtinguuntur. Accedit quod haud obſcure indicare id videtur ſubjecta etruſca Inſcriptio, quâ latinam hanc reddi ſuſpicabamur olim, nunc vero palam nos facturos ſperamus ea enim habet 𐌔𐌄𐌕𐌀𐌚 *Fates*, qua voce *Fatius* ſignificari, nemini arbitror dubium eſſe poſſe, qui latini ſermonis indolem conſideraverit, itemque etruſci: latina enim nomina ut plurimum in *jus* deſinebant, etruſca vero verba plerumque in *es* Lydio more, quod jam animadvertit doctiſſimus Ludovicus Bourguetius in Diſſertation. *ſopra le Litanie Pelaſg.* Piſaur. edit. pag. 48. His profecto conjecturis addatur auctoritas vetuſta ſane Gabrielis de Gabriellibus Patritii Eugubini Viri in antiquis monumentis colligendis diligentiſſimi, qui Anno 1586. hanc ipſam Inſcriprionem accuratiſſime Piſauri deſcripſit, ut ipſemet teſtatur in Codice illius manu exarato, quem ſuperiore anno, Eugubii quum eſſem, communicavit mecum Vir item nobilitate, ac eruditione inſignis Bentivolus Homdedeus de Bentivolis. In eo itaque Codice, ut rem paucis abſolvam, extenſe FATIVS habetur; adeo ut fidenter jam non Atium, ſed Fatium fuiſſe Haruſpicem noſtrum ſtatuere poſſimus. Quod ſi quærat aliquis, quodnam prænomen Fatius habuerit, quod mar-

marmore fracto tradere utique non poſſemus , eadem Etruſca Inſcriptio in cauſsâ eſt, ut ſciamus; Duabus enim literis illis, quæ *Fates* præcedunt, nempe 𐌀𐌂 *Ca* , Fatii prænomen, ſcilicet *Cajus* , haud levi conjecturâ ductus contineri exiſtimo. Notum equidem omnibus eſſe puto, prænomine *Caii* Etruſcos uſos fuiſſe: illud fortaſſe minus notum, eos tale prænomen literis 𐌀𐌂 , vel 𐌉𐌀𐌂 ſignaſſe, quod conſtat ex veteri Inſcriptione Etruſcâ, quam ex Muſæo Cerretanio vulgavit Cl. Gorius Inſcrip. Etr. Urb. Par. I. pag. 275., in quâ habetur 𐌉𐌍𐌄𐌓𐌄𐌇 . 𐌉𐌀𐌂 nempe *Cai* . *Hereni* . Illud opponi poſſet nullo item puncto dividi literas *Ca* a reliquis *Fates* . Verum perpauca quidem adhuc Etruſcorum inſtituta novimus; fortaſſe prænomen aliquando nomini jungebant; fortaſſe etiam marmorarii Piſaurenſis error fuit, minus in Etruſcis literis periti.

STE. Stellatina Tribu . Diximus jam Etruſcum fuiſſe Haruſpicem Fatium , quod cum ex Etruſcâ ſubjectâ Inſcriptione evincitur, tum ex Haruſpicis munere, quo Piſauri fungebatur. Siquidem Haruſpicina in Etruriâ inventa primum fuit , ejuſque artis præcepta ferunt tradidiſſe Tagem quemdam e terræ glebâ repente ortum : ita præter cæteros ſcribunt Cicero lib. II. Cap. 23. de Divinat., & Ovidius lib. XV. Metam. Inde factum eſt ut Haruſpices Etruſci ſummo in pretio haberentur. Cicero lib. I. Cap. 2. de Divinat.. *Quumque magna vis videretur eſſe & in impetrandis, conſulendiſque rebus, & in monſtris interpretandis , ac procurandis in Haruſpicum diſciplinâ , omnem hanc ex Etruriâ ſcientiam adhibebant* . Quamobrem plures Romanorum principum filios Senatuſconſulto ſingulis Etruriæ Populis percipiendæ ſacrorum diſciplinæ gratiâ traditos fuiſſe ſcribunt, licet in numero diſſentiant, Cicero lib. I. Cap. 41. de Divinat., & Valer. Max. lib. I. Cap. I., cujus locum an recte emendaverit J. Lipſius lib. II. Elector. Cap. XI. alii judicent . Ex Etruriâ item accitos Haruſpices teſtis eſt Cicero in Orat. III. in Catilin. *Ob prodigia quum Haruſpices totâ ex Etruriâ conveniſſent;* & in lib. II. cap. 4. de Divinat. *Quid? quum quæritur , qui ſit optimus Reipublicæ Status , quæ leges, qui mores, aut utiles, aut inutiles, Haruſpiceſne ex Etruriâ accerſentur , an principes ſtatuent , & delecti Viri , periti rerum civilium?* & Appian. Alexandr. Civil. lib. IV. *Interim multa horrenda in Urbe viſa ſunt prodigia . . . . his procurandis Senatus Haruſpices , ac Vates accivit ex Etruriâ*, & Livius ſæpe; imo ſolos Etruſcos Haruſpicinam feciſſe indicare videtur idem

Livius lib. V. cap. 12. *Prodigia interim multa nunciata, quorum pleraque, & quia ſinguli auctores erant, parum credita ſpretaque, & quia hoſtibus Etruſcis, per quos ea procurarent, Haruſpices non erant.* Enim vero tunc Romani, ut lacus Albani prodigium interpretarentur, & procurarent, Etruſcum Haruſpicem per inſidias rapuerunt, ut ibidem Livius tradidit. Ac mihi quidem, quemadmodum ex Haruſpicis Sacerdotio Etruſcum fuiſſe Fatium, ita ex tribu Stellatinâ Cortonenſem eumdem fuiſſe erui poſſe videtur; Cortonenſes enim hâc Tribu cenſitos docuit eruditiſſ. Gorius Inſcr. Etrur. Urb. Par. II. pag. 362.

HARVSPE... FVLGVRIATOR. Fulguratus erat Haruſpicinæ pars; Haruſpicina enim nomen generale eſt, & tres ſpecies complectitur: Fulgurum nempe, Extorum, & Oſtentorum interpretationem. Colligitur id ex apertiſſimis Ciceronis locis; in lib. I. c. 18. de Divinat. ita ait: *Utar igitur, nec abducar, aut in EXTIS totam Etruriam delirare, aut eamdem Gentem in FVLGVRIBVS errare, aut fallaciter PORTENTA interpretari;* & in lib. II. c. 11. de Divinat. *Artificioſæ Divinationis illa ferme genera ponebas EXTISPICVM, eorumque qui FVLGVRIBVS, OSTENTISque prædicerent:* & cap. 22. *Sed quoniam de EXTIS, & FVLGVRIBVS ſatis eſt diſputatum, OSTENTA reſtant, ut tota Haruſpicina ſit pertractata.* Quamobrem, quemadmodum Extiſpici, *Haruſpices Extiſpici* dicuntur in Veteri Eugubinâ Inſcriptione, quam edidit Fabrettus Inſcr. Dom. Cap. X. n. 57.

L . VETVRIVS
RVFIO
SPEX EXTISPICVS
RDOS PVBLICVS
PRIVATVS

ita & Fulguriatores, *Haruſpices Fulguriatores* dicebantur, ut

ex

ex noſtrâ Inſcriptione conſtat, & ex Catone apud Nonium Marcellum de Propriet. Serm. pag. 63. Edit. Pariſ. Perier: *Cato de moribus Claudii Neronis: Haruſpicem Fulguratorem ſiquis adducat*. Sæpe etiam abſolute Haruſpices dicti, ut apparebit ex Senecâ mox adducendo. Horum autem Haruſpicum Fulguriatorum munus patet ex Etymo. Fulguriatores dictos fuiſſe, *quod fulgura inſpicerent*, tradit idem Nonius Marcellus loco laudato; Quotiens igitur fulgura, aut tonitrua exſtitiſſent, ad eorum interpretationem, & procurationem Haruſpices Fulguriatores adhibebantur, ut ex innumeris veterum Scriptorum locis conſtat, quos vide apud Bulenger. de Terræmot., & Fulmin. cap. VI. & VII.; Officium præterea illorum fuit loca fulgurita, hoc eſt fulmine icta, recognoſcere, quia ſtatim religioſa fiebant, *quod eo ſibi Deus dedicaſſe videretur*, ut ait Feſtus in V. *Fulgur*; hominum pariter fulmine ictorum ſepultura, & funebre officium ad eos pertinebat. Seneca de Clem. lib. I. Cap. 7. *Ecquis Regum erit tutus, cujus non membra Haruſpices colligant? Quod ſi Dii placabiles, & aqui delicta potentium non ſtatim fulminibus proſequuntur &c.* Bene autem, ac ſapienter Piſaurenſes Etruſcum Cortonâ hominem, ut Haruſpicis Fulguriatoris munere Piſauri fungeretur, advocarunt; fulguratus enim ſcientia apud eam gentem cæteris quodammodo Haruſpicinæ partibus præſtabat vel Cicerone teſte, qui lib. I. c. 41. de Divinat. *Etruria*, inquit, *de Cœlo tacta ſcientiſſime animadvertit*; hinc Cœlum in ſexdecim partes fuiſſe ab Etruſcis diviſum tradit idem Cicero lib. II. C. . de Divinat.

FVLGVRIATOR. Litera I abundare videtur. Sed, quum ſemel tantum in antiquis lapidibus, quos vidi, occurrat verbum FVLGVRATOR Grut. pag. XXI. 5., plerumque enim FVLGERATOR dicitur, ex noſtrâ Inſcriptione non ideo illa eſt expungenda, perinde ac ſi Quadratarii errore irrepſerit; Verum ex eâ, tamquam certiſſimo teſtimonio, vera, germanaque hujus vocis orthographia ediſcenda. (*)

Verſiculum Etruſcum Latinæ Inſcriptioni ſubjectum Clariſſimus Senator Philippus Bonarrotius in Addit. ad Regal. Dempſteri Etrur. § XLVI. *in artis ſignum* additum exiſtimavit; Ego vero antea etiam quam Etruſcas literas attigiſſem, putabam Etruſci hominis Latinâ primum, deinde patriâ linguâ inſcriptam; videbam enim totidem eſſe Etruſcæ Inſcriptionis ver-

H 2 ba,

(*) *Solebant tamen Veteres hanc literam vocibus ſæpenumero inſerere, ita in p.* DLXXXVI. 9. CARTHAGINIENSIS, *& paſſim in vetuſtis Inſcriptionibus, & apud Priſcianum.*

ba, quot ſuperioris Latinæ; neque me ex eâ opinione illud movebat quod veroſimile non eſſet, idem duabus linguis, nimium quantum inter ſe diverſis, totidem verbis dici potuiſſe; conſiderabam enim non orationem aliquam Latinam vertendam eſſe, ſed nuda nomina exponenda, nudam Sacerdotii dignitatem; proinde nihil videbam cur totidem verbis Etruſcis Latina reddi non potuerint. Sed hæc olim, nunc beneficio laudatiſſimi Viri Ludovici Bourguetii, cui quantum debeat Italia, non eſt quod prædicem, Etruſcis myſteriis initiatus, ſententiam, in quâ olim fueram, alacriori animo proferre non dubito. Nomen, & prænomen Etruſcum Haruſpicis noſtri ſupra expoſuimus, reliqua jam proſequamur.

.ᑫ⊥.ᑫ⊥ *Lr. Lr.* Poſt Haruſpicis nomen in Latinâ Inſcriptione, patris prænomen apponitur L. F. Etruſca *Lr. Lr.* exhibet, quibus notis patris item prænomen ſignificari exiſtimo. Singulares notas L. F. ab univerſo Antiquariorum Choro interpretari docemur *Lucii Filius*. Verum quum hic de Etruſco homine agatur, cujus prænomen Etruſcis literis *lr* ſignatur, alterutrum concedi mihi velim, aut Latinas literas L. F. explicandas *Lartis Filius*, aut Etruſcum prænomen *Lar* a Romanis in *Lucium* fuiſſe converſum: neutrum eſt ſine exemplo. Latinos enim aliquando *Lartis* prænomen uſurpaſſe docuerunt jam Viri in Romana Antiquitate verſatiſſimi Car. Sigonius de Nomin. Rom. cap. 3. & Onuphr. Panvinius de Nom. Rom. pag. 1033. Tom. II. Antiquit. Rom. Graev., quod, quum per compendium efferri debuerit, litera L. ſignari oportuit. Hinc in Chronico M. Aurelii Caſſiodori A. U. CCCVI. Conſules exhibentur L. Herminius, & T. Virginius, quem Herminium non *Lucium*, ſed *Lartem* fuiſſe docent Dionyſius, Diodorus, & Valerius, quos vide in Commentariis Panvinii ad eum Annum, & citato loco de Nomin. Roman. Quod ſi ea magis placeret ſententia Etruſcos *Lartes*, latine quum dicerentur, *Lucios* appellatos fuiſſe, e more id eſſe Romanorum nemo ibit inficias. Notum ſiquidem eſt Romanorum inſtitutum, nomina, quum Latine ea redderent, permutandi, & ad Urbis uſum componendi; ita Lucumonem Demarathi Corinthii filium, ut Dionyſius, & Livius docent, Lucium Tarquinium dixerunt: ita Ap. ſeu ut alii Actum Clauſum Regillo Romam profugum L. Appium Claudium effecerunt, ut idem Livius teſtatur. Sed, ut ut hæc ſint, literis certe *lr* prænomem patris Fatii Haruſpicis continetur, quem proinde Lartem Fatium appella-

tum

Digitized by Google

tum fuiſſe conſtat. Quid vero repetitis literis *lr* ſignificetur, haud ita in promptu eſt ſtatuere. Fortaſſe literæ *lr* primæ verbi Etruſci *Filius* erant: fortaſſe etiam eâdem voce & filius, & prænomen denotabatur. Profecto plurima Romanorum prænomina aliam etiam ſignificationem habuiſſe, docuerunt jam ſuperius laudati Sigonius, & Panvinius. Ac ne his ſolum conjecturis res agatur, aliam haud piget apponere. Græci, patris nomen, gignendi caſu efferebant. Hinc ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ, ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ ΝΙΚΟΜΑΧΟΥ. Num idem Etruſci facere non potuerunt? fecerunt equidem Latini, quo conjugium denotarent; inde Metella Craſſi in Sepulchro Metellæ, Catonis Marcia Lucano Vid. etiam Not. VI. & XXXII. Jam vero ſi ita mos fuit Etruſcis, prioribus literis *Lr*, Fatium Lartis filium fuiſſe, ſatis ſignificatur: repetitis vero literis *Lr*, Avus item Lar deſignatur, eodem ferme pacto quo in Romanorum monumentis L. GELLIVS L. F. L. N. L. MVNATIVS L. F. L. N. occurrunt, ac in noſtris.... RONIVS TI. F. TI. N. Marm. XLVI. .... LIVS. M. F. M. N.Marm. L.

𐌔𐌉𐌖𐌌𐌕𐌄𐌍 *Netmuis* verbo STE, quo Stellatina Tribus deſignatur, reſpondet; Ac hujus quidem vocis explicationem felicioribus ingeniis integram relinquo, quod vitio mihi haud vertendum eſſe confido; tutius eſt enim aperte, atque ingenue fateri neſcire, quod neſcias, quam leviſſimis, nulloque ſatis probabili fundamento fultis conjecturis rem tranſigere.

𐌕𐌖𐌍𐌕𐌖𐌓𐌕 *Trutnut:* facilis quidem, niſi omnia me fallunt, hujus vocis interpretatio: verbum enim latinum *trutinor*, quonam e fonte repetenda illa ſit, indicare ſatis videtur; Haruſpices enim cujuſcumque tandem generis fuerint, res inquirebant diligentius, ut divini inde judicii interpretationem promerent: *trutinabantur* igitur, ſeu examinabant Deorum mentes; ac proinde recte *Trutinatores* dici poterant, atque, ut ab Etruſco, ſeu Italico *Trutnut* Latinum *trutinor* deducendum cenſeo, ita idem Etruſcum *Trutnut* a Græco Τρυω, unde τρυτανη revocandum lubens concedo.

𐌂𐌀𐌕𐌍𐌏𐌓𐌚 *Frontac*. Reddi hoc verbo Latinum verbum *Fulgurator* docuit Etruſcarum literarum decus Ludovicus Bourguetius in Diſſertat. de Etruſc. Alphab. pag. 15. editâ Tom. I. Diſſert. Academ. Cortonen. Verum in eo mihi lapſus fuiſſe videtur doctiſſimus Vir quod tertiam Etruſcæ vocis literam Q referre exiſtimaverit, ut innui in Diſſertatione de duobus

Digitized by Google

bus Samnitibus nummis his ipſis diebus exaratâ, quam iidem Cortonenſes Socii pro ſuâ ſingulari in me humanitate Tom. II. earumdem Diſſertat. vulgare decreverunt. Certum eſt enim, ſi tertiam literam verbi *Frontac*, Q eſſe cum Bourguetio ſtatuamus, eam vocem *Frqntac* neutiquam exprimi potuiſſe: quinque enim conſonantes ordine pronunciari omnino nequeunt. Neque vero Viri Clariſſimi ſententia inde confirmari poteſt, quod Etruſci fortaſſe Q literam addito V ſono efferrent; nam, præterquam quod hujuſce moris opus eſſet teſtem aliquem dare, quum contrarium potius elici mihi videatur ex Priſciano, tum ea litera non Q, ſed V ſpecies exiſtimanda eſſet, quæ diverſâ figurâ ob pronunciationis diſſimilitudinem notaretur. Hâc igitur de cauſsâ non Q eâ literâ, ſed O contineri arbitror, quum præſertim illius forma, ad Ω figuram maxime accedat, ac proinde Etruſcorum Alphabeto O literam addendam eſſe exiſtimo. Non ignoro Priſcianum, cujus authoritas impreſſoris, ut puto, errore in eâdem Diſſert. de Alphab. Etruſc. pag. 16. perperam adducta fuit, Tuſcis, & Umbris ignotum fuiſſe O teſtari lib. I. *O aliquot Italiæ Civitates non habebant, ſed ejus loco ponebant V, & maxime Umbri, & Tuſci*. Tamen Etruſcos literam O novam & antiquioribus inuſitatam aſciviſſe minime mirum videri debet; ætas enim lapidis Etruſcos jam tum pene Romanos factos demonſtrat, quum illum Stellatina tribus quâ Fatius cenſetur, inſcriptum fuiſſe evincat poſt A. U. CCCLXIX., quo Stellatina tribus inſtituta fuit, ac ſerius etiam fortaſſe Latinæ literæ non rudes, & impolitæ, ut vetuſtiori ævo, ſed apicibus, ſi ita appellandi ſunt, diſtinctæ, & ad venuſtiorem formam accomodatæ. Satis igitur conſtare arbitror O literam eâ figura expreſſam; Quanam vero de cauſsâ verbum *Frontac* Fulguriatorem ſignificet, quod doctiſſimus Bourguetius non tradidit, inveſtigandum reſtat. Ego vero, quum notiſſima ſit literarum B, & F permutatio, quam alibi quoque illuſtravimus, a Græco βροντάω, unde Pindaro Juppiter αἰολοβρόντης *velociter fulminans*, Etruſcum verbum *Frontac* derivandum puto. Inde Romanis, ſive ab Etruſcis mos hic fluxerit, ſive a Græcis, Jovem Brontontem impenſiori ſtudio cultum teſtatur vetus ara apud Gruter. pag. XVII. 12.

XXVIII.

## XXVIII.

EXſtat hæc Inſcriptio in baſi effoſsâ A. D. 1529. prope arcus rudera, de quo ſupra diſſeruimus n. IV. A multis recitatur, ſed mirum in modum corrupta: a Grutero nempe pag. CCCXXII. 8. Cluver. Ital. Antiq. pag. 621. Fabrett. Inſcript. Domeſt. Cap. IX. n. 1. aliiſque. Veram, germanamque lectionem a me ipſo ſummâ cum diligentiâ exceptam propoſui, nunc ad eam illuſtrandam accedo.

ABEIENAE ita perſpicue legitur: ita ediderunt Cluverius, & Fabrettus; male ex Simeonio Gruterus ALBIAE: male Scultetus ABEIRAE: male eruditiſſimus Bimard ABEINAE. Gens *Abejena* Grutero non deeſt, ſi pag. MCLIII. 16. per errorem ſcriptum velimus ABIENA.

FLAMINICA PISAVRI ET ARIMINI. Flaminica fuit Abejena Piſauri, & Arimini, Patrona Municipii Pitinatium Piſaurenſium: ita enim hanc Inſcriptionem intelligendam eſſe jampridem docuit Scaliger in Indice Grut. cap. III., & V. Quæ olim ad hunc Inſcriptionis verſiculum ſcripſimus, libenti animo omittimus: adeo eleganter in Diſſertatione mox adducendâ illuſtravit illum doctiſſimus Baro de Bimard.

PATRONAE MVNICIPI. Fœminas quoque Patronatus teſſerâ a Municipiis, & Coloniis ſplendidiſſimis donatas fuiſſe docent veteres Inſcriptiones. Cantiam Saturninam Patronam Coloniæ Ariminenſis marmor (*) Grut. pag. CCCXXII. 2. memorat. Nummiam Varam Patronam Præfecturæ Peltuinorum in Veſtinis adduxit eruditiſſimus Vir Petrus Polydorius in expoſitione veteris tabellæ æneæ, quâ M. Salvius Valerius Vir ſplendidus Emporii Naunani Patronus cooptatur, a P. Calogera Tom. VII. Opuſcul. editâ.

PITINATIVM PISAVRENSIVM. Pitinum Ptolemæo teſte mediteraneum Umbrorum oppidum fuit. Cluverius lib. II. Cap. 6. Ital. Ant. Pitinum eo ſitu putavit fuiſſe, ubi nunc conſpicitur celebre oppidum, vulgo *Macerata di Montefeltro*: ita forte dictum, ſi Cimarellio, oppidanorumque traditioni fides, quod ex maceriis veteris illius Urbis fuerit ædificatum. L. Holſtenius in Annotat. ad pag. 622. Ital. Antiq. lin. 5. Cluverii ſententiam confirmat, licet de loco paullum diſſentiat. *Macerata oppidum*, inquit, *haud dubie crevit ex maceriis, & parietinis Pitini, non tamen eodem plane loco ſita eſt: nam*

(*) *Idem tamen repetitur pag. MLXXXVIII. 15., & habet* MATRI COLON.

*nam Pitini veſtigia in Perſena montis levi faſtigio conſpiciuntur, ex cujus ruinis ad vicini montis radices ædificata fuit.* Idem tradit Vincentius Maria Cimarellius in Hiſtor. Gallor. Senon. lib. II. Tract. II. Cap. I. Omnium vero luculentiſſime Laurentius Abſtemius Maceratenſis, cui, utpote qui Civis fuerit, & locorum maxime peritus, plurimum eſt deferendum. Ejus hanc, quam damus, particulam ex Anonymo Codice MS. Bibliothecæ Barberinæ geographicas res complectente deprompſit, & mecum communicavit Vir totius antiquitatis conſultiſſimus Pompejus Compagnonius. Is codex L. Holſtenii operâ concinnatus creditur: Abſtemii vero locus ex ejus opere geographico facile petitus fuerit, quod ſuperiore ſæculo in Bibliothecâ Sereniſ. Ducis noſtri MS. exſtabat, ut Petrus Franciſcus Maccius teſtatur in deſcriptione (*) Feſtorum magnifico apparatu, ornatuque a Senatu Piſaurenſi factorum Anno D. MDCXXI. ut Claudiæ Mediceæ Federici Ubaldi Principis uxoris adventum gratularentur, pag. 14. Ait Abſtemius. *Pitinum, cujus meminit Ptolemæus, Urbs fuit Italiæ eâ in Regione, quæ nunc Mons Feretrus dicitur, ſive* di Montefeltro, *ſive Provincia Feretrana, ſeu Feltria, quæ antiquo vocabulo dicebatur Mons Feretranus ab Urbe, quæ nunc S. Leonis dicitur denominata, diruta, ut fama eſt, a Gothis, ubi adhuc Eccleſia B. Caſſiano Martyri dedicata* (En Perſenæ montis leve faſtigium) *quæ Plebs* [**] *Civitatis Pitini dicitur. Ibi hanc Civitatem fuiſſe præter nomen, conſentiens vicinorum fama, & multa antiquorum ædificiorum veſtigia fidem faciunt. Locus Urbis inter duo flumina jacet: a ſiniſtra Apeſis amnis a Carpineo monte defluens: a dextra vero torrens a Fagiola alto monte deſcendens eum medamnem facit, qui interdum pluviâ auctus varia detegit numiſmata antiquitatem redolentia. Effodientes agros præter numiſmata inveniunt aquæductuum tubos plumbeos, capita marmorea, vaſa etiam ærea, lucernas, & multa talia antiquæ Urbis indicia. Legi in quadratâ Columellâ* SATVRNO PATRI SACRVM. *Ex reliquiis hujus Urbis conſtructa eſt Macerata primarium Montis Feretri oppidum, quod mihi patria eſt, &c.* Hæc Abſtemius. At clariſſimus Fabrettus in notis ad Inſcriptionem noſtram a ſe cap. IX. Inſcr. Dom. editam, ſecus ſentit. En ejus verba:

*Situm*

(*) *Piſauri apud Concordiam.*

(**) *Hanc Plebem antiquiſſimam memorat Inſtrumentum Tranſactionis inter Ugolinum Epiſcopum Feretranum, & Artuſium Pitini Archipresbiterum, Anno D. MCCXXXIX. celebratum, cujus meminit Jo: Baptiſta Marinius Feretranarum Antiquitatum peritiſſimus in Apologet. Feretr. Cap. VI., quod mihi inſcriptum Piſauri edidit apud Gavellium Anno MDCCXXXII.*

*Situm Pitini Piſaurenſis in oppido Maceratæ, quam Feltriam ad diſtinctionem Picenæ vocamus, agnovit Cluverius in ſuâ Ital. Antiq. lib. II. cap. VI. Paullum immutat Holſtenius in Annot. qui tamen haud dubie ex maceriis, & parietinis Pitini Maceratam crevisse aſſerit. Sed puto utrumque falli, quia Maceratu III circiter milliariis ab Iſauro flumine diſtat; jacetque ad torrentem quemdam anonymum (*) quem forſan uterque Scriptor, ut inſanis quandoque fluctibus excreſcit, amploque alveo continetur, pro Iſauro, in quem ſe exonerat, acceperunt. Quærendum eſt igitur Pitinum iſtud Piſaurenſe apud ipſum Piſaurum (**) amnem, cujus oppidi nullum ibi proximum veſtigium mihi conſpicere licuit tunc, quum venatu aſſiduo ex Villulâ noſtrâ Seriolæ non longe diſſitâ ea loca perluſtrabam.*

*Dum melior vires ſanguis dabat.*

Ut lites has componamus, rem abs nemine hactenus animadverſam in medium proferamus neceſſe eſt. Duplex fuit in hâc Regione Pitinum, *Piſaurenſe* alterum, cujus in noſtrâ Inſcriptione luculenta habetur mentio MUNICIPI PITINATIVM PISAVRENSIVM; alterum *Mergens*, quod ex Foroſempronienſi Inſcriptione a Grut. pridem editâ pag CCCCXVII. 6. in lucem emergit, cujus partem in rei fidem exſcribimus

C HEDIO . C . F . CLVST . VERO
EQVO . PVBL . PRAEF . EQVIT . ALAE
INDIANAE . P . F . TRIB . MILIT . LEG . II
TRAIAN . F . PRAEF . COH . II . LING . EQ
IIVIR . ET IIVIR . QVINQ . QVAESTORI
PATRONO . MVNICIPI . FLAMINI
ITEM PITINO MERGENTE
IIII VIR QVINQ . IIII VIR AEDIL
PATRONO MVNICIPI PONTIFICI

I Utri-

(*) *Elegantiſſime de eo Paſſerius noſter,*

Fiumicel ſenza Ninfe, e ſenza nome.

(**) *Flumen, quod Urbis muros alluit, ab antiquis* Iſaurus *dictum vulgo creditur. Verum, ut recte Fabrettus ſcribit,* Piſaurus *appellabatur Pitinates non* Piſaurenſes, *ſed* Iſaurenſes *in Inſcriptione noſtra dicerentur, ſi amnis Iſaurus fuiſſet. Plin. lib. III. cap. 14. in ſexta Italiæ Regione* Piſaurum cum amne *recenſet, ideſt cum amne cognomine; Si enim nomen fluvii ab Urbis nomine diverſum fuiſſet, utique illud non omiſiſſet. Expreſſe* Piſaurum *vocant: Siculus Flaccus de Condition. Agror. & Aggenus Urbicus in Commentar. de Controverſiis Agror. Part. prior. & altera. Conſonat Vibii Sequeſtri teſtimonium in libello de Fluminib. Inde facile patet Lucanum metro adſtrictum ex* Piſauro, Iſaurum *feciſſe lib. II. Pharſal. dum cecinit*

Cruſtumiumque rapax, & junctus Iſapis Iſauro.

Utriuſque Pitini *Piſaurenſis* nempe , & *Mergentis* meminerat Plinius lib. III. cap. 14.; Sed ea eſt ejus loci corruptio , ut nihil ferme minus ſcripſiſſe videatur : ait enim ordine alphabetico recenſens ſextæ Regionis Italiæ populos : *Pitulani cognomine Piſuertes , & alii Mergentini* . Equidem Pitulani abſolute , nulloque addito cognomine occurrunt in vetuſtis Inſcriptionibus : bis in Gudio pag. CXXIV. 9. & p. CXXXVII. 7. bis ( * ) item in Donii Collectione Cl. I. 34. & Cl. II. 70. Numquam vero Pitinates quin , Piſaurenſes , aut Mergentini dicantur , quæ cognomina in vulgatis Plinii editionibus Pitulanis tribuuntur . Patet hinc unicos fuiſſe in Umbriâ Pitulanos , geminos vero Pitinates ; proinde certa mihi res eſt excidiſſe e Plinii textu verbum *Pitinates* , corruptum fuiſſe *Piſaurenſes* in *Piſuertes* , & ita reſtituendum locum : *Pitulani : Pitinates cognomine Piſaurenſes* , *& alii Mergentini* . Scio veteres Plinii Codices , quotquot ſunt , reclamare ; Sed illud etiam non ignoro , licet tot doctiſſimi Viri ſuam ad emendandum Plinium curam , atque diligentiam contulerint , neminem adhuc ex veteribus Scriptoribus eſſe , qui fœdioribus ſcateat erratis , & Medicorum manus magis expoſcat.

His rite elucidatis facile intelligas , Pitini ſitum recte ab Cluverio , Holſtenio , & Cimarellio in Perſenæ montis levi faſtigio conſtitutum fuiſſe prope Maceratam Feltriam ; in eo vero illos peccaſſe , quod Pitinum Piſaurenſe ibi fuiſſe arbitrati fuerint , nullum aliud Pitinum extitiſſe rati . Intelligas etiam recte Fabrettum , apud Piſaurum fluvium , Pitinum Piſaurenſe quærendum ſcripſiſſe ; verum quid olim prope Maceratam in Perſenæ montis levi faſtigio fuerit non animadverſâ Foroſempronienſi Inſcriptione , quæ alterum Pitinum memorabat , ignoraſſe . Fuit igitur in Perſenæ Montis levi faſtigio Pitinum , non *Piſaurenſe* , ut perperam laudati Scriptores tradiderunt , ſed *Mergens* , Urbs nobilis , ut præter allatam Inſcriptionem , quæ IIII Viros Quinquennales , Ædiles, Pontifices, Municipii titulum illi vindicat, numiſmata, inſcriptiones, aliaque ſexcenta, quæ quotidie eruuntur , fidem faciunt . Pitinum vero Piſaurenſe ubi fuerit , ſtatuere non auſim , quum præſertim antiquarum rerum ſcientiſſimus indagator Fabrettus , nullum ibi pro-

( * ) *Has Inſcriptiones ab Holſtenio pridem memoratas in Annot. ad pag. 614. Ital. ant. animadvertit ſæpe laudatus Pompeius Compagnonius ; idemque in cauſſa fuit ut Pitulanos retinerem , quos in locum Pitinatium irrepſiſſe arbitrabar . Id autem profitendum duxi non ſolum ut amori meo facerem ſatis ; verum etiam ut gratiam aliquam Viro de me , deque hoc , qualecumque tandem ſit , opere optime merito referrem .*

Digitized by Google

proximum veſtigium reperiri affirmet. Verum ab homine locorum illorum perito aſſeveratur mihi, prope Saxi Corbarii Caſtrum ingentia Antiquorum ædificiorum rudera Piſauro imminere. Hæc fortaſſe fuerint Piſaurenſis Pitini veſtigia.

Expoſito Pitinorum ſitu, cognominum, quibus demonſtrabantur, ratio mihi nunc reddenda eſt. Ea autem illis Urbibus, ut altera ab alterâ diſtingueretur, impoſita fuiſſe, non eſt cur dubitemus; quum præſertim apud veteres id in uſu maxime fuerit, ut quotiens duæ Urbes eodem eſſent nomine inſignes, diverſo illas cognomine notarent. Mitto exempla, quæ haud longe petenda eſſent, in hâc enim eadem regione duplex fuit Tifernum, alterum cognomine Tiberinum, Metaurenſe alterum: Duplex Urbinum, Metaurenſe, & Hortenſe: Duplex Nuceria, Favonienſis, & Camellaria. Antiquiſſimus ſane mos hic fuit in Italiâ, & Pelaſgorum ævo jam inoleverat, ut ex Eugubinis Tabulis conſtat, in quibus duplices *Tarſinates* populi memorantur, cognomine alteri *Triſores*, alteri *Tuſci*, quod in eâ epiſtolâ animadverti, quam ad Marcellum Franciarinium ſuperiori anno ſcripſi de recenti earumdem Tabularum Interpretatione; ideo igitur ex Pitinis, *Piſaurenſe* alterum dictum fuit, alterum *Mergens*. Hæc autem cognomina haud temere illis Urbibus indita fuiſſe facile patet. *Piſaurenſe* enim Pitinum dicebatur, quod ad Piſauri amnis ripam ſitum fuerit, ut ſcite animadvertit Fabrettus l. l. & Anonymus Mediolanenſis de Tabul. Chorographic. Ital. Med. ævi Sect. XVII. n. 89. p. 178: Pitinum vero *Mergens*, quia in declivi colle ſitum *mergi* forte videretur, ubi duo conjunguntur, & confluunt flumina, anonymus nempe torrens a Fagiola monte deſcendens, ut recte deſcribit Abſtemius, & Apeſis fluvius, qui *Iſapis* Lucano dicitur in lib. II. Pharſal. v. 406. ex emendatione Grotii:

*& junctus Iſapis Iſauro:*

idcirco fortaſſe ab eo inter celebriores Italiæ fluvios memoratus, quod proxime illius ripas Pitinum Mergens poſitum fuerit.

HVIC ANNO QVINQVENNAT. Gruterus, & Fabrettus ediderunt QVINQVENNAL; Sed contra lapidis fidem. Puto hunc eſſe Inſcriptionis ſenſum. *Huic* (Abejenæ) *Anno Quinquennalitatis Petinii Apri Mariti ejus Plebem Urbanam Piſaurenſium ob merita eorum* Statuam conlocaſſe, quam huic Baſi impoſitam olim fuiſſe ex veſtigiis etiam num deprehenditur. Nec ſcrupulum facit, quod in lapide habeatur QVINQVENNAT.

Potuit enim id fieri vel errore quadratarii, vel ad indicandum per hanc literam ſyllabæ initialem integrum verbum *Quinquennalitatis*, quod fieri conſueviſſe in antiquis monumentis nemo neſcit, & præſto ſunt exempla: BNMRT. *Benemerenti*. KRM. Kariſſimæ PTRQ. Poſteriſque; aliaque plura apud Fabrett. Cap. III. Inſ. Dom. p. 164. & ne noſtra prætereamus, BMR. Benemerenti lap. LXIII.

Fuit autem Quinquennalitas municipalis Cenſura: Quum enim Coloniæ ſimulacra eſſent, & parvæ quædam effigies Romanæ Urbis, ut ait Gellius, juraque omnia, inſtitutaque populi Romani haberent, iiſdem fere magiſtratibus regebantur, quibus Roma. Ad Urbis tamen Parentis dignitatem ſartam tectam ſervandam, illorum nomina immutata ſunt. Hinc, qui Romæ Senatus, in Coloniis Curia; Senatores, Decuriones; Conſules, Duumviri; Cenſores demum, Quinquennales dicebantur. Municipali tamen ambitione hunc ordinem aliquando perturbatum fuiſſe ſupra Not. I. innuimus, & Not. XXXII. dicemus. Hinc in Inſcriptione Alatrina apud Gruter. p. CLXXI. 8. P. Betilienus Vaarus, non *Quinquennalis*, ſed *Cenſor* dicitur. Porro Quinquennalitas, ſeu Cenſura Colonica præcipuæ fuit dignitatis, ut docet Cicero, qui lib. II. in Verrem a n. 91. ait Cenſores binos in ſingulis Siciliæ Civitatibus creari, *& propter magnitudinem poteſtatis hunc Magiſtratum a populo ſummâ ambitione contendi*. Eam vero ii adipiſcebantur, qui aliis antea Magiſtratibus perfuncti fuiſſent, Apulejo teſte, qui lib. X. Mileſ. de Thyaſo Corinthio hæc habet: *Gradatim permenſis honoribus Quinquennali Magiſtratui fuerat deſtinatus, & ut ſplendori capeſſendorum reſponderat faſcium, munus gladiatorium triduanis ſpectaculis pollicitus, latius munificentiam ſuam porrigebat*. Quem locum Apuleii Eminum Noriſium, qui recte Duumviros a Quinquennalibus diſtinxit, miror primo ad Duumviros diſ. I. Cenot. Piſan. Cap. 3., mox ad Quinquennales ead. diſſ. Cap. 5. retuliſſe: ibi tamen Quinquennalitatem, ſeu Cenſuram, non Duumviratum in quinquennium Thyaſo delatum indicare voluiſſe Apulejum, mox palam faciam. Quum ergo tanti eſſet Quinquennalitas, eam Principes ipſi, ut Coloniis, & Municipiis faciles ſe præberent, quandoque geſſerunt. Hinc Spartianus cap. XIX. tradit Hadrianum fuiſſe *in patriâ ſua Quinquennalem, & item Hadria Quinquennalem, quaſi in aliâ patriâ*. Hoc honore qui potirentur, munificentiæ ſuæ argumenta præſtitiſſe Apulejus l. l. teſtatur. Nec deſunt veterum

Digitized by Google

terum Inſcriptionum teſtimonia. M. MINDIVS. M. F. GAL. MAXIMINVS STATVAM MERCVRII OB HONOREM QVINQ. POSVIT. CVIVS DEDICATIONE DEDIT VIRITIM DENARIOS SING. apud Grut. pag. LI. 3.: paullulum immutata eadem Inſcriptio habetur in Gudio pag. XXXVI. 2. L. CORNELIVS ... AVGVR. AED. II VIR. QV ... in mutila Inſcriptione apud Reines Cl. VI. 32. & apud Sponium Miſcell. Sect. V. p. 198.

...................... CRVSTVM ET MVLSVM

POPVLO AEDILITATE SPECTACVLVM GLADIAT

CIRCENS. EDIDIT OB HONOR (1)........ DECVRIONIBVS

MAGNAM CAENAM (2) L. QVINQVENNALITATE SVA

LVDOS (3)......HVIC DECVRION. PVBLICE LOCVM

FVNER .. ET STATVAM

Quinquennales ſæpe, ac ſæpius occurrunt in vetuſtis Inſcriptionibus, quas coacervare operæ pretium non eſſet. In aliquibus Coloniis duo fuerunt, in aliis quatuor pro Urbium magnitudine, fortaſſe etiam pro civium ambitione; obſcuræ enim parvæque Civitates velut Ferentinum, Compſa, Ocriculum quatuor Quinquennales habuerunt: Enim vero quum Romæ duo tantum Viri Cenſoria munera uſquequaque olim obirent, cauſſa nulla eſt, cur Coloniarum, & Municipiorum, in quibus quatuor fuerunt Quinquennales, amplitudo efferatur. Quando igitur duo erant Quinquennales, vel abſolute Quinquennales dicebantur, vel Duumviri Quinquennales: ita in Grut. pag. CCCLXXX. 6. CCCCXVII. 6. CCCCXLIII. 1. 6. CCCCXLVII. 10. CCCCLXXXVII. 4. in Donio Cl. V. 84. 86. Quando vero quatuor, vel item tantum Quinquennales, vel Quatuor Viri Quinquennales ut in Grut. p. CCCXLIV. 6. CCCLXXIII. 5. CCCLXXIV. 1. CCCCXXII. 8. CCCCLXXXV. 5. & Donio Cl. IV. 21. Cl. V. 42. & ſæpenumero in Gudio. In Veteri Inſcriptione Oſti-

(1) *Suppl.* *II VIRAT.*
(2) *Lege* *IT. vel ET*
(3) *Suppl.* *DEDIT*

Digitized by Google

Oſtienſi Cl. II. 4. Collect. Donianæ, quæ auctior in Gudio habetur pag. LXX. 1. P. LVCILIVS *Decurio*, *Pontifex* II VIR CENSORIAE. POT. QVINQVENNAL. dicitur. In Fragmento Bononienſi Grut. p. CCCCLXXXXI. habetur QVINQVENnalicia POTESTas & in Gudio p. XLIX. 3. Q. IVLIVS II VIR. QVINQVENN. M PRISCIDIVS II VIR EIVSDEM QVINQVENNALIT. Ii porro, qui Quinquennalitate functi eſſent, *Quinquennalicii* dicebantur, ut in laminâ Canuſinâ apud Fabrett. Inſcr. Dom. Cap. IX. n. 9. Quum vero rurſus [iterabatur enim Quinquennalitas] eum Magiſtratum capeſſerent, *Iterum* vel *Bis Quinquennales*. Grut. pag. CCCLIX. 3. CCCLXXIV. 1. CCCXCIV. 4. CCCCXI. 3. CCCCXXII. 6. CCCCXXXII. 1. CCCCLXXXI. 6. Fabrett. Inſc. Dom. Cap. VI. n. 61.

Quinquennales eum Magiſtratum in quinquennium geſſiſſe, ut ipſum etiam nomen denotare videtur, conſentiens eſt doctorum Virorum opinio. Cui quia refragari videbatur Piſaurenſis hæc, quam illuſtramus, Inſcriptio, præoccupare oppoſitionem ſtuduit Emus Noriſius Cenot. Piſan. Diſ. I. Cap. 5: ibi de Quinquennalibus differens hæc habet. *In Inſcriptione Piſaurenſi pag. CCCXXII. 8. legitur: HVIC ANNO QVINQVENNAL. PETINI PRISCI MARITI EIVS OB MERITA EORVM. Hinc tamen non infertur Quinquennalitatem fuiße annuum Magiſtratum, nam ibidem honor a Plebe Uxori Petinii delatus indicatur ANNO hoc eſt, ut vulgo dicimus* in un Anno *Quinquennalitatis Viri*. Hæc Vir doctus. Mihi tamen perſuaderi numquam poterit, Veteres in rebus poſterorum memoriæ mandandis diligentiſſimos, monumentum hoc publicum ita incerte ſignaſſe, ut reperiri nullo modo poſſet, quoto Magiſtratus Petinii anno honor Abejenæ a plebe Piſaurenſi delatus fuerit, quum promptum cæteroquin, & expeditum eſſet dicere Anno primo, vel ſecundo, vel &c. Quinquennalitatis Petinii. Mitto Grammaticæ leges, quibus evidenter demonſtrari poterat, numquam *Anno*, quod vulgo dicimus *in un anno*, ſignificari poſſe. Quamobrem annuam aliquando fuiſſe Quinquennalitatem exiſtimo, quod etſi prima ſpecie abſurdum videatur, pluribus tamen perpenſis mihi ſit veroſimillimum. Licet enim Quinquennales nomen hoc nacti fuerint, quod primo Romanorum Cenſorum exemplo Magiſtratum quinquennio geſſerint, adeoque improbabile videatur contra ipſius nominis naturam annuam tantum habuiſſe juriſdictionem; verum tamen, quum ipſa

ipſa quoque Romana Cenſura in quinquennium inſtituta M. Geganio T. Quintio Coſſ. teſte Livio lib. IV. c. 8. poſt novem annos a Mam. Æmilio Dictatore ex quinquennali intra ſex menſium, & anni ſpatium redacta fuit, ut idem Livius docet eod. lib. IV. c. 24.; ſimilem quoque immutationem Quinquennalitatem Coloniarum ſubiiſſe, manente tamen dignitatis nomine, probabile mihi videtur; Imo, quum eodem nihilominus vigente nomine perpetuam aliquando fuiſſe illam ſciamus ex antiquis Inſcriptionibus, non dico in Collegiis, cujus ſexcenta ſunt exempla ad rem non facientia, ſed in ipſis Coloniis, & Municipiis, ut ex elegantiſſimâ Inſcriptione conſtat in Gudiano Opere vulgatâ pag. CCVIII. 5., quam Verulis ipſe Gudius vidit, ac deſcripſit.

L. ALFIO L. F. COR

VALENTINO II

VIR IT. QQ. P. MV.

II VIRo ITerum QuinQuennali Perpetuo (*) MVnicipii; non eſt cur dubitemus annuam aliquando fuiſſe, ut ex noſtrâ Inſcriptione apparet.

His ita firmatis facile intelligemus quo pacto quis fuerit non ſolum bis, ut ſupra dictum eſt, & tertium Quinquennalis, ſed etiam quartum Quinquennalis, ut in Inſcriptione Amitertina apud Gruter. pag. CCCLXXX. 6. in quâ M. CAESIVS. M. F. PAL. MAGNVS IIVIR I. D. IIVIR QQ. IIII. habetur; alias enim per viginti annos in eo Magiſtratu fuiſſe M. Cæſium vix credibile eſſet.

Age nunc Quinquennalium munera breviter percurramus. Primo ad Quinquennales pertinebat cenſum in Coloniâ agere; auctor eſt Livius lib. XXIX. cap. 15. *Cenſum in iis Coloniis agi ex formulâ Romanis Cenſoribus datâ: dari autem placere eamdem quam Populo Romano, deferrique Romam ab juratis Cenſoribus Coloniarum, priusquam Magiſtratu abirent:* tabularumque illius exemplum alterum fortaſſe Romam mittebant, alterum certe in Coloniæ tabulario ſervabant. Hinc Cicero in Orat. pro

(*) *Eadem Inſcriptio habetur ex Schedis Manutianis Biblioth. Vatic. in Collect. Don. Cl. V. 4.; ita deſcribitur* II.VIRO II. QQ. P. M. V. *rectius fortaſſe*. Quinquennali Perpetuo Municipii Verulani. *Verulis enim exſtabat Inſcriptio.*

pro Cluventio n. 14. cenſorias tabulas in Municipio Larinati C. Oppianicum corrupiſſe queritur. *Illum*, inquit, *publicas tabulas Larini cenſorias corrupiſſe Decuriones univerſi judicaverunt* & mox *dum eum fuiſſe Oppianicum conſtabit, qui tabulas publicas municipii ſui corrupiſſe judicatus ſit*. Ad eas vero conficiendas tabulas Scribarum miniſterio utebantur, qui Scribæ Quinquennalicii dicuntur, in elegantiſſimâ Aſculanâ Inſcriptione, quam eruditus Vir Tullius Lazzari in libello, cui titulus *Aſcoli in Proſpettiva* pag. 137. edidit. Eam vero integriorem multo, & emendatiorem, prout ex ipſo marmore excepi, lubens hic deſcribo.

Dextras
jungunt
Vir et Uxor

MVLIER TRVENTINA

Q. PETRONIVS . Q . F . RVFVS
SEXVIR . SCR . QVINQ.
COMINIA QVARTA
C . TAMPIVS CLIENS

Porro Quinquennales, qui Cenſurâ bene, & e Republicâ actâ omnibus plebis deſideriis ſatisfeciſſent, publicis honoribus cumulatos docet Vetus Inſcriptio CENSVRA ET DVO VIRA-

TV

Digitized by Google

TV BENE ET E R. P. ACTO. Grut. p. CCCLXXX. 7. Quinquennales præterea Curiam in Coloniis legebant, Decurionumque nomina in albo proponebant. Hinc in laminâ Canuſinâ II Viri Quinquennales Decurionum nomina in æs incidenda curaverunt apud Fabrett. Inſc. Dom. Cap. IX. n. 9. Publicorum item operum curam geſſerunt, illaque aut locaverunt pecuniâ publicâ, Romanorum Cenſorum exemplo, quorum alter A. U. DLXXX. tot præclara Opera Piſauri facienda locavit Livio teſte lib. XLI., aut ſuâ impensâ fecerunt, ut conſtat ex veteri Inſcriptione Grut. pag. MXX. 5., emendatius editâ in Collection. Donii Cl. II. 17., ad quam vide ibi Cl. Gorii Annotationem.

Hæc munera Quinquennalium. Præterea multæ dictionem illos habuiſſe conſtat ex leg. 1. titul. 3. lib. XIII. Cod. Theod. quâ Conſtantinus Medicis, & Profeſſoribus immunitatem tribuit. *Si quis*, inquit, *eos vexaverit*, *centum millia nummorum ærario inferat a Magiſtratibus vel Quinquennalibus exactus.* Hinc juriſdictionis etiam inſignia Quinquennalibus conceſſa, non eſt cur dubitemus, lictores præſertim cum faſcibus, ut ex laudato Apuleii loco Velſerus lib. V. Antiq. Auguſt. adſtruit. *Quinquennali Magiſtratui*, inquit Apulejus, *fuerat deſtinatus*, *& ut ſplendori capeſſendorum reſponderet faſcium*, *&c.* Sed quoniam ex hoc Apuleii loco faſces II Viris prælatas, adeoque non de Quinquennalibus, nempe Cenſoribus, ſed de quinquennalibus Duumviris Apulejum intellexiſſe Noriſius Diſſ. I. c. 3. contendit, Velſeri partes ſuſcipiendæ mihi ſunt, & aperte demonſtrandum, Apulejum Quinquennali Magiſtratui, hoc eſt Cenſuræ, non Duumviratui quinquennali Thyaſum deſtinatum ſcripſiſſe. Id ut faciam, doctorum prius Virorum ſententiâ firmatam opinionem convellere opus mihi eſt. Panvinius Ant. Ver. lib. II. Cap. XII., Urſatus de Not. Rom., Pancirol. de Magiſtr. Munic. Cap. VIII. pluresque alii, Duumviros aliquando ad quinquennium creatos fuiſſe putaverunt, idcirco in vetuſtis Inſcriptionibus Quinquennales appellatos, II VIR. QVINQ., quod per quinquennium in eo Magiſtratu fuerint. Hujus ſententiæ errorem notavit jampridem loco laudato Velſerus, & recte Duumviratum a Quinquennalitate diſtinxit. Duo enim diverſa munera in iis Inſcriptionibus deſignantur, Duumviratus nempe, & Quinquennalitas, ſeu Cenſura Colonica. Hinc, quia Quinquennales dicebantur ſæpe Duumviri Quinquennales, ut ſupra oſtendimus, addebant aliquando I. D. *Juri dicundo*, ita

ĪIVIR. I. D. QVINQ. in Grutero pag. C. 5. CCCCLXXXIII. 2. vel IIIIVIR. I. D. QVINQ. Grut. p. CCCC. 7. CCCCXXXVII. 7. Plerumque vero ad omnem prorſus ambiguitatem tollendam expreſſe ſcribebant, ut ſcite Velſerus animadvertit, IIVIR. IIVIR QVINQ. ſic in Grut. p. CCCLXXX. 6. CCCCXVII. 6. CCCCXLIII. 1. CCCCXLVII. 10. CCCCLXXXVII. 4. Donii Claſ. V. 84. 86.; vel IIIIVIRO IIIIVIRO QVINQ. Grut. p. CCCXLIV. 6. CCCLXXIII. 5. CCCLXXIV. 1. CCCCXXII. 8. CCCCLXI. CCCCLXXXV. 5. Fabrett. Inſcr. Dom. Cap. VI. 81. 92. Donii Claſſ. IV. 21. 42. Cl. V. 228. Porro quando numero pares non erant Duumviri, & Quinquennales, IIVIR. IIIIVIR. QVINQ. ita in Faventina Inſcriptione apud Gudium pag. I. 4. Vetuſtorum lapidum auctoritate deſtitutam ſententiam, antiqui Scriptoris teſtimonio firmare tentavit J. Cæſ. Bulengerus de Imperio Rom. lib. V. Cap. 28., ut viſum eſt Sam. Pitiſco in Lex Ant. Rom. V. *IIViri Quinquennales*. Is eſt Plinius Secundus, ex cujus Ep. I. lib. II. hunc locum adducit. *Veritus ne forte inter Quinquennios crearetur, qui minuendis publicis ſumptibus judicio Senatus conſtituebantur.* Sed oppido mirum eſt, quam a textu, & a mente Plinii aberret, qui de Quinquennalibus ibi agi exiſtimat; a textu quidem, quia in emendatioribus editionibus non *Quinquennios*, ſed *Quinqueviros* legitur hoc pacto. *Veritus ne forte inter Quinqueviros crearetur &c.*: a mente vero, quia Plinius agit ibi de Romano Magiſtratu (ſi tamen hoc nomine appellandus eſt) Romæ, T. Virginio Rufo Coſ. III a Senatu extra ordinem deſtinato, non de Colonica Quinquennalitate. Fuerunt autem Quinqueviri a Plinio laudati Magiſtratus extra Ordinem a Senatu creatus, ut publicis ſumptibus minuendis incumberet. Ita olim florente Republicâ extra ordinem creati Quinqueviri Menſarii ad liberandum ære alieno populum Livio teſte lib. VII. c. 21., Quinqueviri muris, & turribus reficiendis ex eodem Livio lib. XXV. c. 7. Profecto ſi antiquatis fere uſquequaque *IIViris*, quo Civium ambitioni ſatisfieret, *IIIIViri* creati ſunt, ut eâ ratione ad plures ſummus Coloniarum, ſeu Municipiorum Magiſtratus perveniret, ut obſervat ipſe doctiſſimus Noriſius Cenot. Piſ. Diſ. I. Cap. 3., quis credat uno tempore prorogato uſpiam in quinquennium IIViratu, aditum ad honores civibus tam diu præcluſum fuiſſe?

Supereſt nunc, ut quod opponi poſſet, diluamus. Faſces ibi memorat Apulejus. At ii proprium Duumvirorum inſigne

gne

gne fuerunt. Quis neget? Verum quis faſces ſolis IIViris prælatas contendat? Florente equidem Republicâ faſces municipalibus Magiſtratibus negatos recte obſervat Gothofr. ad l. 174. de Decurion. Cod. Theod., ſed Duumviris lictores tantum cum bacillis permiſſos. Poſt Tiberii tempora, ut exiſtimat Noriſius citato Cap. 3. Diſ. I. in Cen. Piſ. faſces etiam ab eiſdem uſurpari ceperunt. Procedente tempore, aliis quoque Municipalibus Magiſtratibus prælati; Aedilibus nempe: docet idem Apulejus Mileſ. lib. I. *Sed quid iſtud? Voti gaudeo, nam & lixas, & virgas, & habitum prorſus Magiſtratui congruentem in te video: Annonam curamus, ait, & Ædilem gerimus*. At enim Aedilatus fuit alicubi ſummus Municipiorum Magiſtratus Ciceron. teſte lib. XIII. Fam. Ep. 11. *Conſtituendi Municipii cauſsâ hoc anno Ædilem filium meum fieri volui & fratris filium, & M. Caſium hominem mihi maxime neceſſarium [is enim Magiſtratus in noſtro Municipio, nec ullus alius creari ſolet]* Recte quidem Arpini, non item Hypatæ, ubi præter Ædilem alii quoque fuerunt Magiſtratus, qui lib. III. Mileſ. Apulejum tamquam homicidam miſſis lictoribus comprehenderunt. Præterea Aediles Ciceronis univerſam Municipii Arpinatis Rempublicam adminiſtrabant; an non ideo Tullius Bruto ſcribit, ut ex vectigalibus, quæ in Provinciâ Galliâ Arpinates habebant, pecunias Legati ab Arpinatibus miſſi celeriter & expedite eo Proconſule exigerent? Verum Ædilis Apuleii ex iis Ædilibus fuit, qui in omnibus fere Coloniis, Municipiiſque creabantur, ut Viarum, Ædiumque ſacrarum curam haberent, ſed præcipue annonæ: fuerunt enim rebus venalibus præpoſiti, cibariis præſertim, cupediiſque quæ vendi in populum ſolebant, ut juſto pretio venderentur, ut erudite docuit G. Panciroll. de Magiſ. Munic. cap. XIX. quorum munus Piſauri ii nunc obeunt, quos *Regolatori* vulgo vocant. Et vero non ſolum ille ſe Annonam curare diſerte teſtatur: *Annonam curamus, ait, & Ædilem gerimus, & ſi quid obſonare cupis, utique commodabimus*: ſed etiam ubi audivit piſciculos tanti Apulejo venditos fuiſſe, pro Ædilitatis imperio voce aſperrimâ piſcatorem increpavit, & novo ſane coercendi modo, ut venditorem pœnâ afficeret, emptoris piſces nullo reddito pretio ſpargi, & pedibus conculcari juſſit. Quum igitur Ædiles (*) quoque faſcibus uſi ſint, cui iiſdem uſos fuiſſe



(*) *Præter Ædiles Seviris quoque Auguſtalibus conceſſos faſces docet Arbiter in Satyr.* & quod præcipue miratus ſum, in poſtibus triclinii faſces erant cum ſecuribus fixi, quorum imam

Quinquennales mirum videbitur? Sed de Quinquennalibus Cenſoribus hactenus.

Antequam manu e tabulâ. Fuerunt & alii Quinquennales, qui a duratione muneris nomen acceperunt: Quinquennales nempe Collegiorum, de quibus docte diſſeruit Gothofred. in Comment. ad l. 7. de Piſtor. tit. 3. lib. XIV. Cod. Theod. Quinquennales Ordinis Auguſtalium: Auguſtales enim præter Seviros, Quinquennales quoque habuerunt, ut ſexcentæ teſtantur Inſcriptiones; omnium vero luculentiſſime ea, quam dedit Fabrettus Inſcr. Domeſt. Cap. V. n. 332. L. CARVLLIVS EPAPHRODITVS VI VIR AVG. IDEM QQ.....HVIC VI VIRI AVG. POST CVRAM QVINQVENNALITATEM OPTVLERunt QVI EGIT ANNIS CONTINVIS IIII. Quædam etiam Sacerdotia Quinquennalia fuiſſe ſuſpicari quis poſſit ex vetuſtis Inſcriptionibus, in quibus identidem occurrunt *Flamines Quinquennales*, *Pontifices Quinquennales*. Emus Noriſius Cen. Piſ. Diſ. I. Cap. 5. *Pontifices Quinquennales* exploſit, duaſque ſignificari dignitates, Pontificatum nempe, & Quinquennalitatem in iis lapidibus, in quibus *Pontifices Quinquennales* habentur, eruditis omnibus ſuffragantibus docuit; Idem porro exiſtimari poſſet de Flaminibus. Verum enimvero valde mirum videtur mihi illos tot, quos memorant Inſcriptiones, ex Flaminio, aut Pontificatu Quinquennalitatem adeptos, quum non niſi *gradatim permenſis honoribus*, minoribus nempe Magiſtratibus, ad illam perveniſſe Veteres, Apulejus loco ſuperius laudato teſtetur. Quamobrem Quinquennale aliquando fuiſſe Flaminium æque, ac Pontificatum, facile mihi perſuadeo, eoque magis, quod utraque hæc ſacra dignitas modo temporaria fuit, modo perpetua. Equidem Flaminium ad tempus delatum fuiſſe, patet ex leg. 21. Cod. Theod. de Decurionib. quâ ſtatuit Conſtantinus Curiales poſt *Flaminii honorem*, *& Magiſtratus*, *vel Sacerdotii decurſa inſignia* præfectos manſionum fieri non oportere, ut idem Emus Scriptor ead.

imam partem quaſi embolum navis æneum finiebat, in quo erat ſcriptum C. POMPEIO TRIMALCHIONI VI VIRO AVGVSTALI CINNAMVS DISPENSATOR. *& in fragmento Tragurienſi*. Inter hæc triclinii valuas lictor percuſſit, amictuſque veſte alba cum ingenti frequentia comiſſator intravit. Ego majeſtate conterritus Prætorem putabam veniſſe. Itaque tentavi aſſurgere, & nudos pedes in terram deferre; riſit hanc trepidationem Agamemnon, &, contine te, inquit, homo ſtultiſſime: Habinnas Sevir eſt, idemque lapidarius, qui videtur monumenta optime facere.

ead. Diſ. I. Cap. 4. animadvertit, & ante eum Guther. (*) de Jur. Pontif. lib. I. Cap. 6: alibi vero perpetuum fuiſſe idem Noriſius laudato capite pluribus docet; Item Pontificatum, quum perpetuus ſæpenumero occurrat in vetuſtis Inſcriptionibus, temporarium aliquando fuiſſe, & ad certum tempus Pontifices creatos ipſe Noriſius ead. Diſ. Cap. 5. recte coniicit.

PETINI APRI MARITI EIVS. Hæc eſt germana lectio, quam pridem expreſſit Cluverius immerito a Fabretto reprehenſus. Redeat ſane Petinius Priſcus

*Illuc, unde negant redire quemquam.*

OB MERITA EORVM Abejenæ ſcilicet, & Petinii Apri.

IMP . . . . . . . . . . Abraſum eſt nomen Imperatoris, qui jus commune liberorum conceſſit. De more eradendi e publicis monumentis nomina eorum, quorum memoriam Senatus abolendam cenſuiſſet, ſane ſatis conſtat. Cujus autem Principis nomen illud fuerit, difficile eſt ſtatuere; multorum enim legimus memoriam a Senatu damnatam. Si tamen ex characterum formâ certa ſatis erui poſſet conjectura, pertinere Inſcriptionem ad Commodum exiſtimarem, cujus nomen eraſum fuiſſe teſtatur Lampridius in f. ejus vitæ. Hanc porro ſententiam ipſa eraſarum literarum veſtigia confirmant, quæ ſedulo examine mecum nuper perpendit amiciſſimus Vir, omnigenâque eruditione clariſſimus Sebaſtianus Pauli Lucenſis.

IVS COMMVNE LIBERORVM CONCESSIT. Quid fuerit Jus hoc Commune liberorum ab Imperatore conceſſum, accurate & dilucide explicare, arduum quidem adeo, & difficile eſt, ut hoc unum quærendum mihi eſſe viſum ſit, quid nempe de eo Viri doctiſſimi, clariſſimique ſenſerint. Primus omnium Marcus Vertranius Maurus J. C. de illo diſſeruit in libro ſingulari *de Jure Liberorum* integro Capite XLVI; cujus præcipuas partes, quibus eruditiſſimi Viri ſententia continetur, hic deſcribimus. Ait itaque. *Sane a Principibus ſolitarii, & orbi conjuges Jus liberorum exoraverunt aut* Commune, *ideſt numero filiorum addito nullo, & ſine diſtinctione liberorum duorum, aut plurium, aut* Speciale *& nominatim expreſſum liberorum trium, de quo . . . . . Illud ſimpliciter, & indefinite poſtulatum, & exoratum ſic appello vetus monumentum ſequutus, cujus*

(*) *Lapſus hercle eſt, & turpiter lapſus Jac. Gutherius citato cap. 6. dum Pontifices, ſed Flamines* perpetuos *dictos putat*, quod illorum miniſterium publice ſemper uſui eſſet; *quaſi vero* perpetua *dici non poſſit dignitas, quæ non ad certum temporis ſpatium, ſed in perpetuum collata ſit, licet ammitti, vel repudiari poſſet.*

*jus inter deficientes literas hac Piſauri veſtigia reſtant, ſi recte ad nos exſcriptum pervenit.* CVI IMP.....IVS COMMVNE LIBERORVM. *Sed non legitur in libris prudentum indiſtincte, & generaliter natorum Jus petitum, quin trium exaudiri debeat, præterquam apud Ulpianum de ſolidi capacitate inter Virum ex Uxorem Epitom. tit. XVI.* Aliquando, *inquit*, Vir ex Uxor inter ſe ſolidum capere poſſunt, velut ſi uterque vel alteruter eorum nondum ejus ſit ætatis, quæ quidem exigitur ............ ſi Jus liberorum a Principe impetraverint, aut ſi filium filiamve &c......... *Cum a cœlibibus maritos multâ relictorum ſecrevit Auguſtus Cæſar teſte Dione lib. LVI. annuo ſpatio præſtituto, intra quod qui præceptis ejus morem gerere cœpiſſent, culpâ vacarent; factum eſt quoque lege Juliâ & Papiâ, ſicut ex Tertulliano dicebamus, vel Virorum prudentium ad eam Interpretamentis, ut maritorum inter ſe diſcrimen eſſet, cum patres liberos habentes relicta, quæcumque meruiſſent, ex uxorum teſtamento capeſſerent; & mariti ſolitarii, aut orbi decimas tantum pro numero liberorum, non item ſolidum capere poſſent, niſi puberem filium vel filiam, trimoſve duos, aut novemdierum tres natos habuiſſent, quæ ſuperius a nobis illuminata in lucem emergunt.........Verum legibus ſoluti Principes, ſupplicibus gratificantes, Jus proprium, quibus placuit, communicarunt, & legum gratia, ſicut ſibi ipſis lege Regiâ facta fuerat, deprecatoribus favorabiliter fecerunt. Inde quamvis neque filium, neque filiam, neque duos trimos, neque tres novemdiales habuiſſet, ſi Principem oraſſet de Juris beneficio concedendo, & exoraſſet, potuit pro eo ac ſi pater fuiſſet, ſolidum ex uxoris teſtamento relictum capere; quæ vetuſti Juris ambages dicuntur Theodoſ. & Valent. II. Augg. ad Albinum Secundum Pr. Prat. & Patricium Novellâ Valent. de Teſtam. I. Ideoque in perſonâ Leontii V. ſpectabilis & Jucundæ uxoris ejus ad alios quoque idem explicantes, neceſſitatem impetrationis iidem Cæſares apertiſſime ſuſtulerunt Aetio III. & Symmacho Coſſ., licet huic Tatianum Annales Collegam tribuant. Porro quum de Principis altaribus conjuges peterent, ut prius decedenti ſuccederet ſuperſtes, fuſis precibus petere* Jus liberorum *dicebantur. De illo ex Iſidoro lib. V. talia proferuntur.* Jus liberorum eſt, conjugum ſine liberis invicem pro loco pignorum alterna conſcriptio. *Quæ definitio niſi ad hoc Jus Commune Impetrativum, de quo ſermonem habemus, reſtringatur, non ſubſiſtet, & ex ſuperioribus de Jure Dativo, & ex ſequentibus de Impetrativo ſpeciali minus proba curioſo videbitur............*

*Appa-*

Digitized by Google

*Apparet item unde illud* Commune *dictum, quod communiter & ex aequo fingeret orbum, & filii quatuordecim annorum, aut filiae duodecim, & duorum bimorum, aut trium novemdialium eſſe patrem.*

Hæc J. C. elegantiſſimus. Gothofredus quoque, & Heinneccius rem tetigerunt, ut ex apponendâ annotatione conſtabit. Fuſius nuper rem pertractavit Vir nobilitate, eruditioneque clariſſimus Baro de Bimard Gallicâ Epiſtolâ ad doctiſſimum Virum Joannem de Abatibus Patricium Piſaurenſem, gentilem meum, qui dum hæc prælo committuntur, acerbo fato extinctus eſt. Hanc porro, licet editam jam in Tomo XVI. *Bibliotheque Italique* audiam, in Latinum ſermonem converſam hic etiam vulgare, operæ pretium viſum eſt, ut eruditiſſimi Viri laboribus ii etiam, qui Bibliothecâ Italicâ carent, perfruantur.

*ETſi mihi Inſcriptionem, quæ Piſauri etiamnum in tuâ Patriâ ſupereſt, dilucide explanare, haud ſane erit æque facile, atque tibi fuit mecum illius exemplar quam accuratiſſimum communicare; conabor tamen, quam breviſſime potero, locos illos, qui negotium faceſſere tibi videbantur, ſedulo examine perpendere; tametſi neſciam, an eam ſuſtinere, ac tueri poſſim expectationem, quam de me tunc concitaras, quum illam a me ſatis enucleate exponendam fore confidens, arduam omnino explicandi provinciam demandaſti.*

ABEINAE C . F . BALBINAE

FLAMINICAE

PISAVRI ET ARIMINI

PATRONAE MVNICIPI

PITINATIVM PISAVRENSIVM

HVIC ANNO QQNAT

PETINI APRI MARITI EIVS

PLEBS VRB OB MERITA EORVM

CVI IMP . . . . . . . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

IVS COMMVNE LIBERORVM

CONCESSIT

L . D . D . D .

Sæpius

*Sæpius prodiit hæc Inſcriptio, at parum diligenter excepta. Primus, ut puto, vulgavit Gabriel Simeonius Illuſtr. degli Epitaf. Ant. p. 67. Inde ſumpſit Gruterus, novaque de ſuo menda adjecit pag. CCCXXII. n. 8. Cluverius, qui conſequutus eſt, quædam emendavit, quædam corrupit Ital. Antiq. p. 621. Fabrettus Inſcr. Dom. Cap. IX. p. 597. Cluverii quidem correctionem ſuſcepit, at lapidem vix inſpexiſſe videtur; in quatuordecim enim lineas Inſcriptionem deſcribit, quum treſdecim tantum tuum exemplar exhibeat; ea, in quibus ab Inſcriptione Fabrettum aberrare deprehendi, ſuis locis adnotabo. Demum Cardinalis Noriſius Cenot. Piſan. p. 73. eamdem pro re natâ laudavit. Nemo tamen integram explicationem vulgavit, aut plurimas, quæ occurrunt, difficultates ſolvit, quod ego ſingillatim præſtabo.*

*ABEINAE. Fabrettus l. l. edidit ABEIENAE; hinc gentem* Abejenam *illarum gentium cenſui annumerat, quæ in Gruteri Theſauro deſunt. Simeonius vulgaverat ABEINAE; ac ego quidem prorſus ignoro, quonam ex inemendato exemplari hauſerit Gruterus ALBIAE.*

*FLAMINICAE PISAVRI ET ARIMINI. In eas hic delabi incipimus difficultates, quas mihi enodandas propoſui. Horum ſequentiumque verborum naturalis ſenſus eſt, Abeinam Flaminicam fuiſſe Piſauri, & Arimini: Patronam vero municipii Pitinatium Piſaurenſium. Quidam autem ſine exemplo eſſe volentes, eamdem feminam duplici ſacerdotio functam fuiſſe, id ſibi ſumunt, Abeinæ Balbinæ munera ita diſtinguenda eſſe:* Flaminicæ Piſauri: & Arimini Patronæ: Municipi Pitinatium Piſaurenſium: *adeout de illorum ſententiâ Abeina Flaminica fuit Piſauri, Patrona Arimini, Civis vero municipii Pitinatium Piſaurenſium: Id ſi verum eſſet, ſingularis profecto exiſtimanda eſſet hujus Inſcriptionis ſyntaxis; poſtquam enim inſculptum fuerat FLAMINICAE PISAVRI, dici ſtatim debuit PATRONAE ARIMINI, conjunctio vero ET non inter primum & ſecundum periodi membrum, ſed ante ultimum collocari, atque ita legi: FLAMINICAE PISAVRI, ARIMINI PATRONAE, ET MVNICIPI PITINATIVM PISAVRENSIVM; alioqui confuſio minime poteſt evitari.*

*Ac, ut omni ex parte hæc ſententia corruat, ſat erit oſtendere, falſis illam dumtaxat niti fundamentis. Enimvero ſine exemplo non eſt, eamdem feminam duabus in Coloniis Flaminicam fuiſſe; Ariminum, ut ne longius abeam, eadem illa Urbs, cujus Flaminica fuit Abeina, præclarum nobis ſuppeditat exemplum in Grut. p. CCCXXII. 2. & iter. MLXXXVIII. 15.*

CAN-

CANTIAE

L . F . SATVRNINAE

PATRON . COLON

FLAMINICAE

SACERD . DIVAE PLOTINAE

HIC ET FOROSEMPRONI

D . D

*Quandoquidem igitur Cantia Sacerdos fuit Divæ Plotinæ Arimini, & Foroſempronii, potuit etiam Abeina Balbina Flaminica eſſe Piſauri & Arimini; aliam præterea FLAMINICAm COLoniæ EMERITENSIS ET MVNICIPI SALACIENſis exhibet idem Gruterus pag. XIII.* 16.

*Atque ego quidem illud ſtatuere non auſim, duas has Flaminicas per idem tempus duplici ſacerdotio inſignitas fuiſſe. Coloniæ enim, & Municipia, in quibus memoratæ Sacerdotes creabantur, duo ſacrificiorum genera habuerunt, peculiare alterum, alterum univerſis civibus Romanis commune. Facile profecto intelligere poſſumus, quo pacto una dumtaxat Flaminica duarum Coloniarum peculiaribus ſacrificiis ſufficere potuerit: veroſimile enim non eſt in eumdem anni diem illa incidiſſe; at vero quonam unquam modo univerſo Populo Romano communia facere potuiſſet ſacrificia, quæ ſtatum diem in Kalendario habebant, eoque die in omnibus Urbibus, quæ civitatis Romanæ jure fruebantur, celebrari debebant? Certum eſt enim Flaminicis æque ac Flaminibus ſacrificiorum curam demandatam vel Tertulliano teſte de Idolat. c.* 10. Flaminicæ & Ædiles ſacrificant.

*Jure igitur ſuſpicari poſſumus Flaminicas eas, quæ duarum Urbium ſacerdotia habuerint, non illa per idem tempus, ſed primo unum, deinceps aliud geſſiſſe. Flaminium equidem qua viris, qua feminis ad certum, definitumque tempus haudquaquam mandabatur. Quidam enim dum viverent, eo ſacerdotio fungebantur, &* Flamines perpetui *ac* Flaminicæ perpetuæ *dicuntur in Veterum Inſcriptionum Collectionibus, præcipue in Grut. pag. XIII* 6. *CI.* 3. *CCCXIX.* 5. *CCCCXIV.* 1. *&c. Quidam in quinquennium*

L *elige-*

*eligebantur*, *idcirco* Flamines quinquennales *appellati*; *ac quamquam quidem Flaminicarum quinquennalium nullum modo ſuccurrat exemplum*, *illas etiam extitiſſe non dubito*; *Quidam denique ad annum creabantur*, *qui in vetuſtis Inſcriptionibus* Flamines, *ac* Flaminicæ *abſolute dicuntur*; *Atque hi quidem expleto unâ in Urbe Flaminio*, *non modo idem ſacerdotium adipiſci in aliâ potuere*: *ita C. Cornelius Minucianus Plinii Junioris familiaris*, *ad quem illius exſtant Epiſtolæ lib. III. ep. 9. IV. 11. & VII. 22.*, *Bergomi primum Divi Claudii Flamen fuit*, *mox Mediolani Flamen Divi Trajani*, *quemadmodum ex veteri Inſcriptione diſcimus apud Gruter p. CCCXCVI. 8. verum etiam ac multo magis in eâdem*, *in quâ antea geſſerant*; *inde in antiquis Inſcriptionibus ſæpe occurrunt* Flamines *ITERVM vel II*: *unicam deſcribere non piget ex Greg. Mayanſ. Epiſt. lib. III. p. 148. in Hiſpaniâ inter Sagunti rudera repertam*.

C . VOCONIO . C . F .

GAL . PLACIDO . AED

IIVIRO II . FLAMINI

II . QVAESTORI

SALIORVM . MAGISTRO

*Si quis itaque Abeinam Balbinam uno tempore duplici ſacerdotio præditam fuiſſe contenderet*, *contra quam exiſtimavimus*, *opponere dumtaxat poſſet conjunctionem ET*, *ex qua*, *quum inter duarum Urbium nomina collocetur*, *ſatis commode demonſtrari videtur*, *in ambabus illam per idem tempus Flaminicam fuiſſe*. *Attamen certum eſt particulam ET non modo ſignificationem copulativam habere*, *verum etiam disjunctivam*; *hæc enim eadem conjunctio in aliis Inſcriptionibus occurrit*, *in quibus honores ſeu officia*, *quæ a memoratâ particulâ conjunguntur*, *eodem tempore adminiſtrari nequaquam potuerunt*. *Invenimus exempli cauſſâ in Grut. pag. CCCCXCIII. 1. Priſcum quemdam TRIBunum MILitum LEG. I. ADIVTR. ET. LEG. X. FR. ET. LEG. IIII. GALLICAE*, *quem tamen nemo idcirco exiſtimabit uno tempore trium Legionum Tribunum fuiſſe*, *quæ in longe diſſitis provinciis ſtationes habebant*. *C. item STATIVS POLLIO in aliâ veteri*

*Inſcri-*

Digitized by Google

Inſcriptione MILes dicitur LEG. V. ET. XIII. Quis autem putabit umquam militem hunc duplex ſtipendium accepiſſe, eodemque tempore quintæ, & decimætertiæ legioni adſcriptum fuiſſe? Nonne intelligi inde licet illum in quintâ primum, deinceps in decimatertiâ legione meruiſſe? Abeinæ igitur & Cantiæ Inſcriptiones itidem explicari poſſunt; quum unica particula conjunctiva ET ſufficere non videatur, ut illas duarum Urbium ſacerdotium per idem tempus geſſiſſe ſtatuendum ſit: poteſt enim ſine ullâ controverſiâ exiſtimari, Cantiam & Abeinam ambarum Urbium ſacerdotio diverſis annis inſignitas fuiſſe. Ac ſi concedendum quoque eſſet, memoratas feminas eodem tempore duplex Flaminium geſſiſſe, unum ab alio ſuſtinetur exemplum; ita ut minime de conceptâ ſententia decedere cogar: illud enim ſemper certum, immotumque reſtat, legendam continuate Inſcriptionem Flaminicæ Piſauri & Arimini, quod demonſtrandum ſuſcepi.

Ex iis, quæ huc uſque deduximus, illud ſequitur, ita diſtinguendos eſſe Abeinæ Balbinæ honores, ut Flaminica fuerit Piſauri, & Arimini: Patrona vero Municipii Pitinatium Piſaurenſium; MVNICIPI enim in Inſcriptione ponitur pro MVNICIPII, quemadmodum alibi Pompei pro Pompeii, Virgili pro Virgilii, & apud Horatium ingeni pro ingenii. Cellarius Geogr. Ant. lib. II. Cap. 9. p. 595. ed. noviſſ. poſt Cluverium duo Pitina diſtinguit. Primum in Piceno fuit, ejuſque meminit Plinius lib. II. c. 103. in agro Pitinate trans Apenninum fluvius Novanus, omnibus ſolſtitiis torrens, bruma ſiccatur: Nomen, & veſtigia ſuperſunt duobus paullo plus paſſuum millibus a Civitate Aquila in loco, qui vulgo dicitur Torre di Pitino; Veterum Veſtinorum Urbs fuit, quemadmodum tradit Ptolemæus Vomano, quum veteres Novanum dicebant, amni proxima; ita L. Holſtenius in Notis ad Cluver. & Harduinus in Comment. ad Plinium.

Alterum Pitinum in Umbria fuiſſe docet nos Ptolemæus Geogr. lib. III. c. 1. Pitinum Piſaurenſe dictum fuit, quod prope Piſaurum, ſive Iſaurum amnem, quem hodie Foglia appellant, ſitum erat. Cluverius Ital. Ant. lib. II. c. 16. Pitinum Piſaurenſe ibi olim fuiſſe exiſtimat, ubi nunc Maceratæ, quam Feltriam ad diſtinctionem Picenæ vocant, oppidum conſpicitur. Secus ſentit Fabrettus Inſcr. p. 658. qui Maceratam, quum tribus circiter milliariis a Foleâ, ſeu Piſauro flumine diſtet, vetus Pitinum fuiſſe negat: in eum vero errorem ideo Cluverium incidiſſe docet, quod anonymum quemdam torrentem, ad quem jacet Macerata, pro Iſauro, in quem ille ſe exonerat, acceperit. Tamen, ut verum



Digitized by Google

*ſatear, trium milliarium intervallum, quo ab Iſauro Macerata diſjungitur, vix tanti eſſe videtur, ut eidem oppido Pitini Piſaurenſis nomen detrahendum omnino ſit; ac ego quidem cum Holſtenio ſaltem exiſtimarem, antiquum hoc Municipium in lævâ Iſauri ripâ ſitum olim fuiſſe e regione Maceratæ, quæ fortaſſe ex illius ruinis ædificata fuit, ac inde* a maceriis Macerata *appellata.*

HVIC ANNO QQNAT. *Gruterus & Fabrettus ediderunt ANNO QVINQVENAL, integrum verbum compendio, quod in marmore viſitur, ſubſtituentes; ac illa quidem nota* QQNAT *pro QVINQVENNALITATIS ſingularis eſt: aliam tamen æque ſingularem offendi in Gratianopolitanâ Inſcriptione, parum accurate ab Allardio editâ Lett. ſur les Antiq. de Grenobl. p. 7.*

T . C . H

SECVNDO

QQV. IIVIR

*Nota enim QQV. exponi debet* Quinquennali. *Cæterum nemo, niſi qui ſit in re antiquaria plane rudis, ignorat, Quinquennalitatem Magiſtratum fuiſſe in Coloniis, & Municipiis, Romanæ Cenſuræ reſpondentem; alicubi tamen princeps fuit Magiſtratus, quod vel ex Apuleii loco conſtat in lib. X. Metam. ab eruditis in hanc rem ſæpe adducto. De Quinquennalitate uberrime diſſeruerunt Emus Noriſius Cenot. Piſ. & doctiſſimus Philippus a Turre in Diſſertation. de Colon. Forojulienſi ad calc. Monum. Vet. Ant. p. 362. & ſeqq.*

*PETINI APRI MARITI EIVS. Gruterus habet PETINI PRISCI, quem Fabrettus ſequitur, reprehenſo per ſummam injuriam Cluverio, qui recte ediderat PETINI APRI.*

*PLEBS. VRB. OB MERITA EORVM. Subaudiri hic debet verbum* poſuit*, quod exprimi in antiquis Inſcriptionibus nequaquam ſolebat. Ex hoc verſiculo abunde conſtat, agi hic de ſtatuâ Abeinæ Balbinæ poſitâ, cujus baſis Inſcriptione, quam explicamus, inſignis adhuc ſupereſt. In Coloniis, Municipiis, cæteriſque Romani Imperii Urbibus, Ordo Decurionum, interdum etiam Plebs, ut optime meritos cives, aliquâ grati animi teſtificatione proſequeretur, publice ſtatuas illis decernebat, quod ex innumeris propemodum vetuſtis Inſcriptionibus conſtat; ac in earumdem quidem ſtatuarum baſibus cauſſam inſcribebat, cur ſtatua poſita fuiſſet.*

Digitized by Google

*ſet . Cicero Philip. IX. ſtatuæ honorem P. Sulpitio Rufo , qui in Legatione ad M. Antonium exceſſerat e vitâ , tribuendum cenſet , cauſſamque in baſi inſcribendam:* quod is pro Republicâ mortem obierit , eamque cauſſam in baſi inſcribi . *Ob merita igitur propria , & Petinii Apri mariti , ſtatua Abeinæ Balbinæ a Plebe Piſaurenſi ſtatuta fuit.*

*CVI . . . . . IVS COMMVNE LIBERORVM CONCESSIT. Nemo unus e tot Scriptoribus , qui hanc Inſcriptionem aut recitaverunt , aut laudaverunt , quid fuerit* jus commune liberorum, *de quo hic agitur , explicare (*) tentavit . Ac illud quidem maxime cavendum puto , ne quis memoratum jus cum eo jure confundat , quod patres cives Romani in proprios liberos habebant , quodque* jus patriæ poteſtatis *dicebatur ; ac quamquam patria poteſtas propria fuerit civium Romanorum , nullique alii homines talem in liberos habuerint poteſtatem , ut Juſtinianus docuit : tamen jus hoc patriæ poteſtatis pars fuit* Juris Quiritium *quod univerſis civibus Romanis commune erat ; proinde Piſaurenſibus etiam commune factum fuit , poſteaquam Piſaurum Colonia deducta fuit A. U.* 569 *Liv. lib.* 39*; neque vero confirmatio aliqua , aut nova conceſſio impetranda erat in Italiâ poſt legem Juliam , quæ cum univerſis Italis plenum civitatis Romanæ jus communicavit . Longe igitur diverſum , ac omnino diſſimile fuit* jus commune liberorum , *quod ut accuratius explicem , ignoſcas mihi Vir humaniſſime , rogo , ſi præſcriptum epiſtolæ modum aliquantulum exceſſero .*

*Auguſtus veteri exemplo atque inſtituto ſapientiſſimi cujuſque legislatoris in illud ſemper incubuit , ut , quantum ille potuiſſet , populum Romanum per matrimonia propagaret . Id ut aſſequeretur , plures leges conſcripſit ; quibus conjugia præmiis , cœlibatum pœnis afficeret ; inter has celeberrima & ampliſſima eſt ultimo loco lata , quæ a Coſ. qui legem rogaverunt A. U. DCCLXII. Papio , & Poppæo lex* Papia Poppæa *dicta eſt . Ac id quidem adeo cordi Auguſto fuit , ut in Senatu longa oratione , quam retulit*

(*) *Præter Vertranium Maurum , cujus verba ſuperius adduximus , Jacobus Gothofredus ad l. 4. Cod. Theod. de Jur. liberorum , de Jure communi liberorum in Inſcriptione noſtra memorato elegantiſſime diſſeruit* Mutua , *inquit* , conjugum teſtamenta , qui liberos non habent , duplici nihilominus ratione ſubſiſtunt . I. Si junctis precibus mutuam ſui inſtitutionem Principi . . . . . inſinuaverint . II. Si communium liberorum jus conjuges reſcripto Principis impetraverint : Communium , inquam liberorum , quomodo etiam vocatur l. 9. infr. de infirmandis his quæ ſub Tyran. imo & in veteri Inſcriptione , quæ Piſauri &c. ubi jus Commune liberorum proculdubio male expreſſum : Scriptum fuerat , vel ſcribendum IVS . COMMVNI . ideſt Communium liberorum . *Conſonat Heineccius in doctiſſimo Commentario ad l. Juliam & Papiam lib. II. cap. 15. §. VIII; ait ille :* vocatur alias jus commune liberorum apud Gruterum . . . . quamvis ibi erraſſe crediderim vel lapicidas vel deſcriptorem, poſitumque conjiciam IVS COMMVNIVM LIBERORVM.

Digitized by Google

*tulit nobis Dio. lib. LVI. init.*, *cœlibes ignominiâ notaret*, *eos vero qui matrimonio ſe junxiſsent laudibus extolleret*.

*Lex igitur Papia Poppæa cives Romanos in plures gradus diſtribuit pro eorum matrimonio*, *liberiſque*, *numerove liberorum*. *Cives Romani*, *qui intra tempus*, *quod ad uxorem ducendam a lege præſcriptum fuerat*, *matrimonium non contraxiſsent*, *non modo a muneribus*, *& honoribus excludebantur*, *verum etiam vectigal quoddam pendere cogebantur*, *quod* Uxorium *appellabatur Feſto teſte lib. XXI.* Uxorium pependiſſe dicitur, qui, quod uxorem non habuerit, æs populo dedit; *præterea nihil ex teſtamentis accipere poterant*, *niſi ſexto ſaltem cognationis gradu teſtatorem attigiſsent*, *aut intra centum dies a morte teſtatoris*, *matrimonium contraxiſsent*, *quemadmodum Ulpianus docet tit. XVII*; *demum in ſuo quiſque ordine velut infimus civis habebatur*; *ac in theatris*, *cæteriſque locis*, *ubi gradus ordinibus aſſignati erant*, *poſtremi ſedebant*.

*Honoratius ſedebant mariti*, *quibus Auguſtus certum locum in ſpectaculis aſſignavit:* maritis de plebe proprios ordines aſſignavit; *inquit Svetonius in Aug. c.* 44. *Huc Martialis jocus*, *reſpicit lib. V. ep.* 42. *in Didymum quemdam*, *qui quum uxorio operi naturâ ineptus eſset*, *jus annulorum aureorum*, *equeſtrem nempe ordinem ab Imperatore petierat:*

Sedere in equitum liceat an tibi ſcamnis
Videbo, Didyme: non licet maritorum.

*hi tamen*, *quum liberos non ſuſcepiſsent*, *ſemiſsem dumtaxat hereditatum*, *legatorumve*, *quæ illis teſtamento obveniſsent*, *capere poterant*, *ſemiſse altero ad fiſcum pertinente l.* 13. *ff. de Jur fiſc.*

*His itidem præferebantur patres*, *ut ex A. Gellio conſtat qui lib.* 11. *c.* 15. *ait:* Sed poſtquam ſoboles Civitati neceſſaria viſa eſt, & ad prolem populi frequentandam præmiis, atque invitamentis uſus fuit, tum antelati quibuſdam in rebus qui uxorem, quique liberos haberent; *id vero in honoribus capiendis maxime enituit: ii enim*, *qui liberos haberent*, *infecundos maritos præcedebant*; *ita Caleſtrius Tyro*, *qui cum juniore Plinio ſimul militiæ nomen dedit*, *ſimul Quæſtor fuit*, *Tribunus tamen primum renunciatus eſt*, *quia pater erat:* Simul militavimus, *ait Plinius lib VII. ep.* 16., ſimul Quæſtores Cæſaris fuimus; ille me in Tribunatu liberorum jure præceſſit.

*Omnibus vero præſtabant cives illi*, *qui tres liberos*, *pluresve ſuſcepiſsent: non modo enim in honorum petitione illorum primum ratio habebatur*, *verum etiam plura iiſdem*, *eaque maxime utilia*

Digitized by Google

*lia jura data ſunt. Jam inde a Divi Julii temporibus in agri publici diviſione trium liberorum patres prælatos animadvertimus, Cæſar enim quemadmodum tradit Svetonius capit.* 20. *campum Stellatem, agrumque Campanum diviſit XX. millibus civium*, quibus terni pluresve liberi eſſent. *Hadrianus Imperator bona damnatorum, quæ ad fiſcum pertinebant, illorum liberis conceſſit l. 7. §. 3. ff. de bon. damnat. & ibi gloſs.* ſi plures eſſent, *nempe ſi tres ſaltem, ut communis Juriſconſultorum fert opinio.*

*Ac illud quidem grave, & moleſtum civibus illis accidebat, qui legislatoris voluntati obſequentes uxorem duxiſſent, neque tamen liberos ſuſcipere ex eâ potuiſſent, omnium præmiorum beneficiorumque expertes eſſe, quæ iis paterent, qui neque majore ſtudio, neque alacriori voluntate legi obtemperaſſent, ſed caſu dumtaxat aliquo, atque fortunâ fecundam ſibi uxorem adjunxiſſent. Ut igitur Cives hi a propoſito non deterrerentur, ſiquidem ſingularis eorum in patriam charitas, & amor conſtaret, Imperatores jura illis omnia, quæ trium liberorum Patribus, legibus conceſſa erant, reſcripto largiebantur. Ecce autem quid fuerit* jus trium liberorum, *adeo a vetuſtis Scriptoribus celebratum. Martialis lib. II. ep. 91. 92. id jus a Domitiano impetravit: Plinius a Trajano lib. X. epiſt. 2; ac non ſibi ſolum, ſed etiam neceſſariis ſuis Voconio Romano lib. II. epiſt. 13. & Svetonio Tranquillo lib. X. epiſt. 95. At vero ſi Imperatores nimium faciles ſe ad illud concedendum præbuiſſent, multa profecto incommoda oriri inde in Rempublicam potuiſſent, plurimique ea ſpe ducti veros liberos procreare nequaquam tentaſſent. Talis certe fuit Dento ille, quem elegantiſſime mordet Martialis lib. VIII. ep. 31. Is, quum uxorem duxiſſet, eâdem domi relictâ Romam venerat, ut jus trium liberorum a Principe impetraret; denunciat itaque illi lepidiſſimus Poeta, ſi diutius in Urbe moram traxiſſet, quum domum revertiſſet, quattuor liberos inventurum loco trium, quorum jus ut a Principe peteret, Romam veniſſet.*

Nam tu dum longe desertâ uxore moraris, (*)
Tres quæris natos, quattuor invenies.

*Idcir-*

(*) *Ita verſiculum hunc in ſua epiſtola doctiſſimus Bimard deſcripſit; vulgatæ editiones, ac illa præſertim, quæ ex Muſæo Petri Scriverii emendata prodiit, habent*

Nam tu dum longe deſerta uxore, domoque

*Codex tamen membranaceus MS. qui apud me ſervatur, habet*

Nam tu dum longe deſerta uxore, diuque

*quod maxime probo; atque ita editum poſtea vidi in Edit. Corn. Schrevelii Lugd. Batav.* 1656. *apud Franciſcum Hackium.*

*Idcirco Imperatores raro admodum atque ægre memoratum jus largiebantur. De Galbâ tradit id Svetonius cap.* 14. *De ſe ipſo Trajanus ad Plinium lib. X. ep.* 96.

*Neque vero viri dumtaxat trium liberorum jus petebant, ſed etiam feminæ, quæ gravi de cauſſa, dignaque ſcriptione illo indigebant. Ex lege XII. Tabularum filii matribus ab inteſtato non ſuccedebant, neque matres filiis; & primus quidem Divus Claudius matri ad ſolatium liberorum amiſſorum legitimam eorum detulit hereditatem lib. III. Inſt. tit. III.* §. 1. 2; *Poſtea autem S. C. Tertylliano, quod D. Hadriani temporibus factum eſt, illud cautum fuit, ut ingenua ſi tres liberos peperiſſet, libertina ſi quatuor ad bona filiorum filiarumve inteſtato mortuorum admitteretur: Juſtiniano teſte lib. III. Inſt. tit. III.* §. 1. & 2.

*Lex Papia Poppea* Juri trium liberorum, *ut diximus, occaſionem dederat, eademque juri communium liberorum locum fecit, quod ſæpe* jus liberorum *appellatur; in Codice vero Theodoſiano l. 9. de infirmand. his quæ ſub Tyrann.* jus communium liberorum, & jus commune liberorum *in Inſcriptione noſtra; quamquam enim* jus trium liberorum *ea omnia commoda ſecum ferret, quæ* jure communium liberorum *continebantur, tamen duo memorata jura valde differebant, quod demonſtrandum ſuſcipio.*

*Jus liberorum quemadmodum tradit Iſidorus Orig. lib. V. c.* 24. *in eo poſitum erat, ut vir & uxor, qui communes liberos non habebant, invicem ex teſtamento ſuccedere poſſent:* jus liberorum eſt conjugum ſine liberis invicem pro loco pignorum hereditatis alterna conſcriptio. *Lege Papia Poppea, quemadmodum Ulpianus tit. XV. docet, conjuges ex mutuis teſtamentis decimam dumtaxat partem capere poterant* matrimonii nomine; *totidemque alias partes decimas, quot liberos haberent ex priori conjugio ſuperſtites; aliamque item decimam ſi filium filiamve communem poſt nonum natalis diem amiſiſſent. Id autem religioſe adeo ſervabatur, ut Auguſtus, quum nullos ex Livia liberos ſuſcepiſſet, volens ex triente illam heredem ſibi conſcribere, veniam legis a Senatu petiit Dione teſte lib. LVI. qui ait:* teſtamento ſuo Auguſtus Tiberium ex beſſe heredem ſcripſit, ex triente reliquo Liviam, ut quidam ajunt; ut enim illa in partem ejus hereditatis veniret, veniam legis a Senatu petierat, ut ei tantumdem relinquere liceret.

*Itaque vir & uxor invicem ex aſſe heredes eſſe non poterant, niſi tempore mortis filius filiave communis ſupereſſet, aut uxor prægnans intra decimum a viri morte menſem peperiſſet; idemque*

juris

*juris erat, ſi quatuordecim annorum filium, vel filiam duodecim amiſiſſent, trimoſve duos, aut tres novemdiales; illud quoque animadverſione dignum eſt, ſolidum ex teſtamento percipere conjuges potuiſſe, ſi uterque vel alteruter eorum nondum ejus ætatis fuerit, quæ ad prolem ſuſcipiendam a lege præſcripta erat, nempe ſi vir minor annorum XXV. fuerit, aut uxor annorum XX. minor: item ſi annos lege præfinitos in matrimonio exceſſerint, nempe vir LX. annos, uxor vero L.*

*Verum tametſi legis aſperitas tot tantiſque modis mitigata fuerit, tamen iis, qui ex lege matrimonio ſe junxiſsent, ac in ſupremis tabulis amorem, quo conſtante matrimonio incenſi fuerant, utili teſtificatione ſignificare vellent, nihil gravius, nihil odioſius accidere poterat, quam liberâ teſtamenti factione privari. Et vero ſi prolem illis natura denegavit, id certe nulla eorum culpa accidebat; ætatem autem a lege præſcriptam expectare, nempe ut vir LX. annos attigiſset, uxor vero L., id profecto erat fortunæ voluntatem ſuam committere: nemo enim unius uſuram horæ ſibi ad vivendum datam eſse certo ſcit. Quamobrem Imperatores infecundis conjugibus idem jus, quo illi fruebantur, qui communes liberos habebant, aliquando conceſserunt, quod* jus commune liberorum *dicebatur. S. Auguſtinus cont. Julian. lib. III. tale jus negatum fuiſse docet iis,* quorum anni ſimul ducti & computati centum tranſiiſſe dicerentur. *Sæpe tamen conceſsum fuiſse diſcimus ex duobus Ulpiani titulis, quos hactenus expoſui; ac Abeina quidem Balbina aliud ſuppeditat exemplum. Ex iis, quæ dicta ſunt, facile intelligere poſsumus, Abeinam, quum hæc illi poſita Inſcriptio fuit, nondum quinquageſimum ætatis annum attigiſse: nullos ex Petinio Apro conjuge liberos procreaſse: nullos item ex priori conjugio; Flaminicæ enim univiræ dumtaxat capiebantur, ut Tertullianus teſtatur de exhort. caſtit. c. 11. & de monog. c. 17. ac demum ab Imperatore* jus commune liberorum, ſeu jus communium liberorum *impetraſse, nempe jus ſolidi ex viri teſtamento percipiendi, quod habuiſset, ſi liberos ex illo ſuſcepiſset. Quidquid de jure liberorum diximus, mirifice confirmatur a Paulo J. C. lib. IV. Recept. Sent. Tit. 9. §. 9 ait ille:* Jus liberorum mater habet, quæ tres filios aut habet, aut habuit, aut neque habet, neque habuit; habet cui ſuperſunt: habuit, quæ amiſit: neque habet, neque habuit, quæ beneficio Principis jus liberorum conſecuta eſt; *cujus periodi ultimum membrum, caſum in Inſcriptione noſtrâ memoratum repræſentat.*

*Nomen Imperatoris, qui Abeinæ jus commune liberorum conceſſit,*



Digitized by Google

*conſulto eraſum eſt; inde patet unum ex iis illum fuiſse, quorum memoriam Senatus abolendam, nomenque e publicis monumentis ubique eradendum cenſuit. Plures ex hoc numero fuerunt, quod peculiari diſsertatione oſtendi; at difficile, ne dicam impoſſibile eſt, ſtatuere cuinam ex tot improbis Principibus beneficium Piſaurenſi Flaminicæ conceſsum, referendum ſit: illud tamen vel Domitiano, vel Commodo aſſignandum eſse exiſtimo; ideo enim ut memorati juris conceſſio publico monumento conſignari mereretur, legem Papiam Poppæam ſummâ adhuc religione obſervari oportebat; ac proinde, quum illam a Severo Imperatore temperatam fuiſse ex Tertulliano in Apologet. c. 5. diſcamus, Abeinam antequam Severus imperio potiretur, vixiſse ſtatuendam eſt; eraſio itaque hoc pacto ſuppleri poteſt. CVI IMP. CAES. DIVI VESPASIANI F. DOMITIANVS AVG. aut IMP. CAES M. AVRELIVS ANTONINVS COMMODVS P. F. AVG. IVS COMMVNE LIBERORVM CONCESSIT. &c.*

*Cæterum omnia hæc legis Pappiæ Poppeæ capita a Chriſtianis Imperatoribus abolita omnino fuerunt. Conſtantinus junior pœnas cœlibum & orborum ſuſtulit, omnibuſque æquum eſse conditionem capeſsendi quod quiſque mereretur, ſancivit lege An. Ch. 339. conſcriptâ, quæ habetur ſub. l. 1. C. de infirmand. pœn. cœlib. Lapſus eſt Juſtinianus Nov. LXXVIII. C. 5. tum quando memoratam Conſtitutionem Conſtantino Magno Conſtantinopolitanæ Urbis conditori aſſignavit; lex enim Conſtantini, Conſtantii, & Conſtantis nominibus inſcripta eſt, lataque Conſtantio II. & Conſtante Coſs., qui altero poſt Conſtantini Magni obitum anno Conſulatum inierunt. Anno Ch. 410. Theodoſius junior inter virum & uxorem rationem ceſsare ex lege Papiâ decimarum, & quamvis non interveniant liberi, ex ſuis quoque eos ſolidum capere teſtamentis decrevit l. 2. C. eod., ac jus liberorum omnibus conceſſit l. 1. C. de jur. liberor. Denique Anno Ch. 528. Imperator Juſtinianus matribus filiorum inteſtato mortuorum legitimam ſucceſſionem detulit ſublatis omnino S. C. Tertylliani conditionibus l. 2. C. eod. quo jus trium liberorum penitus obliteratum eſt.*

*Ex iis, quæ hactenus diſputavimus, intelligitur prænomen relativum CVI referri non poſse ad Plebem Urbanam, ut quidam exiſtimabat; non enim fieri potuit ut Imperator præcipui legis Papiæ capitis veniam univerſæ plebi Piſaurenſi tribuerit, ac tale jus coloniæ Romanæ indulſerit, quo Urbis parentis incolæ carebant. Enimvero quænam probabilis cauſsa afferri poteſt, cur Piſaurenſes eâ lege ſolueret, quâ augendæ ſoboli, multiplicandæque Italicæ juven-*

ven-

*ventuti proſpectum fuerat? illud contra recordari oportet, Inſcriptionem hanc in honorem Abeinæ poſitam fuiſſe, adeoque ad eam pertinere quidquid illâ continetur, ac proinde ridiculum profecto fore, ſi in Inſcriptione privata civi poſitâ, præter omnem expectationem privilegium univerſæ plebi conceſſum, celebratum fuiſſet. Præterea grammaticæ leges id nequaquam paterentur; anne ita conſtrui poteſt* plebs urbana Piſaurenſium ob merita eorum, cui Imp. jus commune liberorum conceſsit? *dici certe debuit* plebs Urbana, cui Imp. jus liberorum conceſsit, ob merita eorum. *Supponendum itaque neceſſario eſt punctum poſt* ob merita eorum, *& ſubaudiendum* poſuit, *poſt quod verbum, novum membrum incipit, in quo pronomen relativum, CUI demonſtrativi vicem gerit; ac hic quidem loquendi modus utique non inſolens eſt in antiquis Inſcriptionibus; unicum T. Plautii Silvani Æliani monumentum in Gr. p. CCCCLIII. 1. plura exhibet exempla; quod indicaſſe ſufficiat: longius enim eſt, quam ut deſcribi poſſit.*

*Hactenus &c.*

## XXVIII.

EXſtabat olim hoc Monumentum apud Mattheum Pardium; ſed poſtquam omnis illius poſteritas deſiit, penituſque exſtincta eſt, quum in plurium heredum manus illius ædes pervenerint, periit eruditus Lapis, vel in alicujus novæ fabricæ uſum miſere ceſſit, quod novi ſæpenumero Piſauri contigiſſe. Dolendum ſane ereptas nobis fuiſſe antiquas tantorum civium imagines, quarum jactura non potuit ex MSS. Codd. ſuppleri, in quibus ſolum indicantur; ſi modo antiquæ illæ erant; potuit enim L. Accio Tragicorum Principi, & T. Accio Oratori celeberrimo marmor illud poni, non ſolum a veteri aliquo Piſaurenſi, ſed etiam a recentiori ab hinc annos trecentos, tum quando literarum ſtudia florere multo ſucceſſu cæperunt, ut præſtantiſſimorum civium memoriam prope intermortuam renovaret; ejuſdem profecto ætatis eam cenſeo eſſe Inſcriptionem quam n. XVII. collocavimus. Operæ pretium me facturum putarem ſi de clariſſimis civibus fuſius hic differerem; verum quum *de illuſtribus Viris Piſaurenſibus* ſingulari libello agere in animo ſit, rem totam in illud tempus integram reſervabo.



Digitized by Google

## ✱ XXIX.

SEbaſtianus Maccius Durantinus, de quo in præfatione diximus, Inſcriptionem hanc cum Piſaurenſibus communicavit, & repertam inter Veteris Caſtri Ripenſis rudera apud ſe aſſervari teſtatus, vulgavit lib. I. de Portu Piſaur. Cap. XV., in quo Peregrina Marmora ad nos ſpectantia congeſſit. Opus illud de Portu Piſauri licet publicam lucem numquam aſpexerit, in plurium tamen eruditorum manus pervenit, & præſertim doctiſſimi Lucæ Holſtenii, ut mox videbimus. Non defuerunt ex noſtratibus qui putarent hanc Inſcriptionem a Maccio confictam; in primis Petrus Raſtellius Medicus Piſaurenſis Maccio æqualis eam purum putum Maccii (*) figmentum eſſe pronunciavit. M. quoque Antonius Gozze ex ſua Collectione, in quâ illi locum dederat, liturâ expunxit

De Accia gente agemus, juvante Deo, in libello *de Viris Illuſtribus Piſaurenſibus*.

PAL. Palatina tribu, in quâ etiam cenſebantur Piſaurenſes V. n. XXX.

PAT. III. F. M. Prompta eſſet, & expedita interpretatio *Patrono Trium Familiarum Monetariorum*. Sed quænam in his Civitatibus Familiæ monetariorum? Illud quoque in mentem venit *Patrono Trieris Famæ* vel quid ſimile; Sed quis Patronos Triremium producere audeat? Fortaſſe male deſcripta fuit Inſcriptio atque ita emendari debet PAT. COLL. F. N. *Patrono Collegii Fabrum Navalium*. At ipſe Maccii Codex habet PAT. III. F. M. Fruſtra igitur in hac Inſcriptione emendanda laborem ſuſcipimus.

PATRONO MVNICIPI N̄. Municipii noſtri; Caſtri Ripenſis, ejus nempe, a quo M. Accio Inſcriptio poſita fuit.

OB RESTIT IN STLIT. IVD. Stlitibus (ita enim Veteres pro *litibus*) judicandis præfuit M. Accius. Ex decem viris Magiſtratum hunc conſtaſſe, & Veteres Scriptores, & marmora antiqua teſtantur. Non deeſt tamen exemplum ĪĪ VIRI STLITIB. IVD. apud Grut. p. CCCCLXXVI. 3. & ĪĪĪĪ VIRI STLIT. IVD. p. CCCCXXXVI. 7.

AGRVM METAVR BELLOR. INCENDIIS AMISS. Reſtitutum fuiſſe a M. Accio, dum X̄ Vir ſtlitibus judicandis eſſet, Agrum

(*) *In Raſtellii ſententiam manibus pedibuſque concedet quicumque Maccii opus inſpexerit de Bello Haſdrubalis lib. IV. pag. 59.*

Digitized by Google

Agrum Metaurenſem bellorum incendiis amiſſum memorat Inſcriptio. Joannes Petrus Riccius peculiari diſſertatiunculâ marmor iſtud illuſtravit, in quâ M. hunc Accium coævum Aureliano conſtituebat, ab eoque reſtitutum volebat Agrum Metaurenſem amiſſum, ſeu direptum, & deſertum bellorum incendiis, quæ ab Aureliano geſta ſunt cum Marcomannis, quos ille demum circa Metaurum profligavit. Eam Joanni Pilio Fanenſi nuncupavit, a quo pluribus ſane laudibus eſt ornata, ut ex ejus epiſtolâ conſtat, cujus exemplum habeo; Porro in perquirenda Riccii commentatione operam perdidi, nec dolet; quivis enim vel leviter antiquitatis ſtudiis inſtructus contendet Inſcriptionem Aureliano vetuſtiorem eſſe, ſiquidem genuina ſit. Nam, ut verum fatear, hæret hic mihi aqua, ne Maccium falſi arguam. Equidem reſtitutio Agri Metaurenſis bellorum incendiis amiſſi, & publicorum vectigalium conſervatio ejus, qui litibus judicandis tantum præſit, muneris fines longe excedit; neque enim præcipua hæc Principatus œconomia ad privatarum cauſarum Judicem ex officio pertinet; Quod ſi forte M. Accio id a Principe fuiſſet injunctum, & Principem laudaſſet Inſcriptio. Præterea quænam umquam bella agrum Metaurenſem devaſtare potuerunt? Docere illa debuerat Maccius ad ſui lapidis fidem tuendam. Aureliani enim tempora, quæ Riccius ſomniaverat, Palatinæ tribus additio ſatis ſuperque excludit. Mitto M. Accium nullo cognomine; mitto alia, quæ in re nimium clarâ piget jam congerere.

MVNICIP. CAST. RIP. Municipes Caſtri ſeu Caſtelli Ripenſis. L. Holſtenius in Annot. ad p. 620. lin. 52. lib. II. Ital. antiq. Cluverii ait: *Supra Caſtellum Durantis antiqui Oppidi inſignia exſtant veſtigia, quod neſcio, quo auctore Aleriam appellatum tradunt, niſi forte famæ incertâ traditione permoveantur, quum nulla ejus apud antiquos memoria exſtet. Ego Cluverio facile acceſſerim, ut Urbinum Metaurenſe hoc loco fuiſſe credam. De antiquitate, & ruinis ejus Oppidi vide Vincentium Mariam Cimarellium. Sed ex vetuſto lapide, qui Durante in Villâ Montis S. Petri Metaurenſis apud Maccios exſtat, & a Sebaſtiano Maccio lib. I. de Portu Piſaurenſi exhibetur, manifeſte apparet hoc loco olim fuiſſe Municipium* Caſtrum Ripenſe *dictum; eum poſuerunt* MVNICIP. CAST. RIP. POSS. ET INCOL. & in Annot. ad Theſaurum Ortelii litera C. addit: *Caſtellum Ripenſe Municipium ad Metaurum fluvium, ubi nunc Caſtel Durante, ex veteri ejus loci Inſcriptione.*

Equi-

Equidem Caſtrum, ſeu Caſtellum Ripenſe vel ubi nunc *Caſtel Durante*, hodie *Urbania*, vel jactu tantum lapidis procul exſtitiſſe contendit Flaminius Tertius in Annalibus Durantinis, qui MSS. apud me ſervantur. Floruit municipalis iſte Scriptor initio ſæculi elapſi: res ab illius Caſtelli hominibus geſtas deſcribit, poſtremamque ipſius everſionem accidiſſe narrat Anno Salutis MCCLXXVII. operâ Galaſſi Comitis Montis Feretri, & Urbinatium, dum Romandiolæ Rector eſſet Guillelmus Durantes Mimatenſis Epiſcopus: hunc vero, ut acceptam ab Eccleſiæ partibus cladem modo aliquo ſarciret, diſperſos Caſtelli Ripenſis incolas convocaſſe, novumque Caſtrum exædificaviſſe, quod a ſuo nomine *Caſtrum Durantis* appellavit. Hanc porro narrationem duobus monumentis conſtabilivit Tertius, quæ exſcribere hic non piget; De eorum vero ingenuitate viderint alii. Primum eſt Annotatio ab Ughellio jam vulgata cujuſdam Monachi, Monaſterii S. Criſtophori Durantini, ætate, ut videtur, minime poſterioris, quam in Protocollo quodam Inſtrumentorum Ser Nicolai Pacis acta 1307. continenti ipſe Tertius ſe reperiſſe teſtatur, eaque ſic habet. *Situs ubi nunc eſt Caſtrum Durantis erat noſtra Abbatia, quem Monaci dederunt Domino Guillelmo Durantis. Et ſcias quod Caſtrum antiquum dirutum fuit Anno* 1277., *quod evenit incuriâ hominum, qui populatim iverant ad S. Angelum jam putantes poſſe frui pace, ſed adeo egregie ſe ſubito in armis poſuerunt, & vias diligenter occupaverunt, ut dicta victoria inimicis magno ſteterit, ac fuerit valde cara.* Alterum vero ſumitur ex narrationibus plurium Inſtrumentorum anno 1308. & 1309. manu Ser Federici Spinæ ſcriptorum: unica contentus ero. *In nomine Domini Amen. Anno ejus Nativitatis MCCCVIII. Indictione VI. tempore Dñi Clementis PP. V. die XIV. Menſis Decembris. Cum hoc eſſet, quod tempore rebellionis Magnifici Viri Galaſſi Comitis Montisferetri, & Communis & Hominum Civitatis Urbini, & ſequacium eorumdem adverſus Sanctam Romanam Eccleſiam, & guerra exinde ortæ inter eos, & Reverendum Virum Dñum Guillelmum Durantem Decanum Carnotenſem, qui poſtea factus eſt Epiſcopus Mimatenſis, Præſidem, & Generalem Rectorem in Provinciâ Romandiolæ, Civitate, & Comitatu Urbini pro S. Rom. Eccleſia.... Caſtrum Riparum antiquum ſitum in Diœceſi Urbini, quod ad fidelitatem, & obſequium dictæ S. Rom. Eccleſiæ in dicta guerrâ tenebatur, per eoſdem rebelles invaſum, direptum, & deſtructum fuerit, & ex deliberatione auctoritate licentiâ, & favore atque man-*

Digitized by Google

*mandato ejuſdem D. Guilielmi tunc Præſidis & Rectoris Generalis ſuper ſpiritualibus, & temporalibus in dictis Provinciis pro S. Rom. Eccleſiâ memoratâ, ipſum Caſtrum poſitum, & de novo ædificatum & conſtructum fuerit in ſolo & loco ubi nunc eſt & conſiſtit Caſtrum Durantis, ex hominibus, familiis, perſonis, & habitatoribus dicti Caſtri Riparum antiqui invaſi & deſtructi, ut dictum eſt ſupra, qui locus tempore conſtructionis & ædificationis jam dicti Caſtri Durantis erat ſylva & nemus pro majori parte, & pro aliqua in dicta parte erat terra arativa, & vocabatur Sylva Cereti &c.* Ut ut hæc ſunt, tamen inde non infertur, Romanorum ævo exſtitiſſe Caſtrum Ripenſe ſeu Riparum. Equidem L. Holſtenii ſententia noſtræ huic Inſcriptioni unice innititur, quam ſi quis ab omni ſuſpicionis nebulâ vindicare ſtuduerit, rem profecto eruditis omnibus gratiſſimam facturum ſpondeo, mihique in primis, cui Sebaſtiani Maccii fama cordi quam maxime eſt.

Quod autem ad Urbinum Metaurenſe attinet, quam Urbem Cluverius eo loco fuiſſe credidit, ubi nunc Caſtrum Durantis exſtat, illud literatis Viris notum velim anno 1734. ab honeſtiſſimo cive Callienſi Franciſco Mathias, in ſuo prædio duobus milliaribus citra Oppidulum, quod *Acqualagna* dicimus, ſecus fluvium *Candiano*, qui alteri *Burano* jungitur plures repertas fuiſſe inter nobilis, & ornati ædificii ruinas, veteres Inſcriptiones, ex quibus Vir omnigenâ eruditione ſpectatus Lucas Antonius Gentili Urbinum ibi Metaurenſe fuiſſe conjiciebat. Numiſmata, ſtatuarum fragmenta, exotica marmora, quæ inde Callem tranſtulit prædii dominus. ſplendidi certe Municipii fidem faciunt; præcipue vero Inſcriptiones, quas, quum vulgatæ nondum ſint, cum eruditis communicare erit operæ pretium.

D

CLAVDIAE ...

T. FLAVIVS IANVARIVS

ALVMNVS . B—M[1]

C. LI.

C . SAGVRO
C . F . CLV . PRISCO
PR . DESIGN . TRIB . PLB
QVAESTORI . VRBAN
PRAEF . EQVIT . ALAE
PRIM . FLAVIAE . CI
VIVM . R . TRIB . LEGIO
NIS . XXX . VLPIAE . VIC
TRICIS . PRAEF . COH
III LINGON . EQVITA
TAE . PRAEF . FABR
IIIII . VIR . QVINQ
PONTIFIC . PATRON
MVNICIPI
DECVRIONES ET
PLEBS VRBANA

L . HEIDIO . SER . FI
SERTVLLAE . IIIII .
VIR . QVINQ



Digitized by Google

C · LIGVSTINIO
C . F . CLV . DISERTO
Ɔ LEG XX V V
Ɔ LEG IIII SCYTHICAE
ITEM Ɔ LEG XX V V
EVOCÁTO AVG
BENEF . PRAEF . PRAET
EVTYCHÉS Ɔ LIB
PATRÓNÓ OPTIMO
OB MERITA
CVIVS DEDICÁTIONE
DECVRIONIB ET PLEBEI
CRVSTVLVM ET MVLSVM
DEDIT

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

RNIAE . C . F . GA
RIA . C . F . TERTVL
MATER

POSS . ET INCOLAE. Poſſeſſorum nomine Decuriones intelligi ut plurimum ſolere animadvertit Cl. Gorius in annot. ad Collect. Don. In hac verò Inſcriptione intelligi videntur, quicumque ii fuerint, qui Mataurenſem agrum poſſidebant.

N XXXI.

Digitized by Google

## XXXI.

TAbulam hanc marmoream bifariam diviſam, ac aliquibus literis in ipſo medio mutilam Hieronymus Arditius in iis, quas alias laudavi, MSS. annotationibus teſtatur repertam fuiſſe A. D. 1565. ad D. Claræ, cum aliis baſibus, ac marmoribus pulcherrimis, quorum maxima pars a Republicâ Faneſtri poſtea animoſe comparata, ceſſit in opus fontis, qui in majori illius Urbis platea conſpicitur.

Vulgavit primus hanc Inſcriptionem Grut. p. CCCCXLVII. 6. ſed fœde corruptam; poſterius fragmentum iterum dedit p. MCIII. 4. Emendatiorem edidit Fabrettus Inſcript. Dom. cap. X. 207., nec tamen emendatiſſimam. Demum Gorius rurſus illam in Syntagm. Doniano Cl. V. 16. recudit; verum nec is punctum tulit, ut apparebit. Gorius inſuper annotatione ſuâ Inſcriptionem noſtram exornavit, quam hic, ne doctiſſimi viri commentatione noſtrates fraudentur, integre deſcribo.

*P. Alſius Semnianus, Equo publico ornatus, Quæſtor, Duumvir, Quinquennalis Piſaurenſium in Camilia Tribu cenſus fuit, quem biga poſita honoravit Plebs Urbana Piſaurenſium ex ære conlato Decreto Decurionum. Scatet pluribus mendis hæc Inſcriptio apud Gruterum in 6. CCCCXLVII. non paucis item apud Fabrettum Cap. X. n. 207. In alio Gruteriano lapide eadem honoris cauſſa exprimitur dedicationis Biga poſitæ in honorem præſtantium virorum in 1. p. CCCLII., in qua T. Ancharius Priſcus laudatur,* CVI PRIMO IIVIRO BIGA POSITA OB EXIMIAS LIBERALITATES ET ABVNDANTISSIMAS SINE EXEMPLO [illegible]ITIONES, *quæ ipſa verba in hoc quoque lapide occurrunt.* [illegible]G POS *hoc eſt* BIGAM POSVIT, *vel* BIGA POSITA *quod magis* [illegible] *Viris igitur egregie de Republica meritis, qui inſigni aliquo beneficio populum ſibi devinxiſſet, largitiones dediſſent, itemque ſpectacula, ludos, & munera gladiatoria edidiſſent, poſita fuit in eorum honorem biga addito titulo, & Inſcriptione in Theatris, in Baſilicis, in Foro, & in loco Coloniæ, vel Municipii maxime conſpicuo, ut in memoria poſterorum æternum viverent. In bigis poſita effigies ejus Viri, qui tanto honore ornabatur, uti ex marmore Gruteriano collegit Cl. V. Valerius Chimentellius de Honore Biſellii Cap. XLI., quo de Bigarum honore in honorem illuſtrium virorum poſitarum luculenter diſſeruit.* Hæc Gorius.

P. ALFIO eſt primum Gruterianæ editionis mendum, habet enim PALPIO.

CAM.

Digitized by Google

CAM. *Camilia* ( ita enim perſpicue in Gruter. pag. DXXVIII. 4.) tribu. In hac cenſitos fuiſſe Piſaurenſes ex aliis Inſcriptionibus conſtat nempe XXXIV. XLIII. LII. CXXX. CXXXVII. CXXXVIII. CXLI. Verum alii Palatinæ tribui illos adſcribunt nempe I. XXXVIII. XXXIX. XL. LVIII; aliæ etiam Sabatinæ videlicet XXXV. CI. Porro ne quis miretur, præſto ſunt exempla. Ariminenſes in *Anienſi* cenſentur apud Grut. p. DLXX. 10. MXCIV. 2. MXCV. 2. MXCVII. 2. MCII. 3. 4. 5. in *Palatina* p. MXCI. 12. MXCII. 1. & in noſtrâ Inſcriptione XLI., quam bona fide Ariminenſibus reddimus; in *Lemonia* ex veteri Inſcriptione apud Clementinum p. 41., quam mutilam edidit Cl. Gorius in Syntag. Doniano Cl. IV. 31. Auximates in *Velinâ* pag. CCCCXLV. 9. 10. CCCCXLVI. 1. 2. 4. in *Collinâ* pag. CCCCLIV. 8. 9. in *Lemoniâ* p. CCCCLIX. 9. Bononienſes in *Lemoniâ* Grut. p. DXX. 7. DXL. 6. DLVIII. 1. & paſſim. Fabrett. Inſcr. Dom. Cap. III. 526. 647. in *Dumiâ* Grut. p. DCCLXXII. 3. in *Stellatina* p. CCXLVIII. 6. in *Palatina* Reineſ. Cl. VIII. 76. Veronenſes in his noſtris Inſcriptionibus *Camiliam* Tribum habent n. LIX. *Publiciam* n. LX. Ravennates eidem noſtræ Tribui *Camiliæ* accenſentur pag. DLXVIII. 8. CCCXCIII. 1. CCCCLXXXVI. 7. DCCLXV. 9. *Quirina* vero pag. DCCCLIII. 6. Sexcenta alia ex ipſo Grutero peti poſſunt. Illud vero mirabitur aliquis, quod duorum LL. Lucciorum Caſinatium Secundus *Palatina*, Hybernus *Terentina* tribu dicatur in Grut. p. CCCCXXXII. 1. Varietatem hanc animadverterunt Viri docti, Reineſius in primis Cl. II. 24., qui rationes quoque hujuſmodi mutationis inveſtigavit; eaſdem fere probavit & Sponius Miſcell. Sect. II. Art. XI. p. 59. Iis equidem Romana marmora, ut eſt illud Sponii, recte explicantur; poterant enim Romani occaſione adoptionis, habitationis, cenſus, vel ſimili, de una in aliam tribum percommode tranſire, in omnes enim tribus Romani diſtribuebantur. Verum alia cauſſa quærenda eſt in Coloniis, & Municipiis, que integra cum univerſis civibus uni ex tribubus adſcribebantur, ut ex Livio mox adducendo apparebit. Fontaninus in erudito opere de Antiquit. Hortæ lib. I. Cap. 2. cauſſam, quam notaverat antea Jo: Baptiſta Capponius Bononienſis in Patriæ Inſcriptionis explicatione editâ a Malvaſ. Marmor. Felſin. p. 109. attulit, quâ mirifice Hortanas Inſcriptiones illuſtravit; exiſtimavit nimirum occaſione deductionis Coloniæ, Urbes de una in aliam tribum tranſiſſe; verum ea,

plana licet, & ingenioſa, in noſtras certe Inſcriptiones non convenit. Quamvis enim quater Piſaurum Colonia deducta ſit, ut ſuo loco conſtabit, quum tamen poſtrema deductio vel ab Antonio, vel ab Auguſto ſtatim ſuperato Antonio facta fuerit, mutatio tribus, ut illa contigerit, cognoſci in noſtris Inſcriptionibus non poteſt, quæ omnes, niſi ego valde fallor, Antonio ætate ſunt poſteriores. Adhuc igitur latet quamobrem Piſaurenſes unâ atque eâdem tribu cenſiti omnes non fuerint; niſi forte id evenit ob eam rem, quod tribu Camiliâ Sociali bello inſtitutâ, mox diſſolutâ, iterum reſtitutâ mutare tribum pro ratione temporis coacti fuerint Piſaurenſes; quemadmodum accidere id potuerit, breviter nunc eſt explicandum.

Piſaurenſes licet civitatem Romanam adepti fuerint jam inde ab Anno U. C. DLXX. quo P. Claudio Pulchro, L. Porcio Licino Coſſ. Piſaurum Colonia primum deducta fuit non Latini nominis, ſed, quantum conjecturâ auguror, Civium Romanorum, caruerunt tamen jure ſuffragii uſque ad legem Juliam. Diverſam quidem civitatem Romanam a jure ſuffragii fuiſſe, nemo eſt qui neſciat: unicum Livii teſtimonium affero lib. XXXVIII. c. 36. *De Formianis, Fundaniſque Municipibus, & Arpinatibus C. Valerius Tappus Trib. Pl. promulgavit, ut iis ſuffragii latio (nam ante ſine ſuffragio habuerunt civitatem) eſſet: Huic rogationi quattuor Tribuni Pl., quia non ex auctoritate Senatus ferretur quum intercederent, edocti populi eſſe, non Senatus jus, ſuffragium, quibus velit, impartiri, deſtiterunt incœpto. Rogatio perlata eſt, ut in Æmilia tribu Formiani, & Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent, atque in his tribubus tum primum ex Valerio Plebiſcito cenſi ſunt.* Hoc autem jure Piſaurenſes caruiſſe, non eſt cur miremur. Carebant ante Valerium Plebiſcitum Formiani, Fundani, & Arpinates: Carebant Ariminenſes, ſplendidiſſimæ licet Coloniæ cives, & undecim reliquæ Coloniæ ex lege M. Livii Druſi Tr. Pl. ad creandam invidiam C. Graccho Tr. Pl. decretæ, earumque exemplo carebant ex lege Sullæ Volaterrani, ut ex Cicerone conſtat, qui in Orat. pro Cæcin. hæc habet. *Deinde quod Sulla ipſe ita tulit de civitate* [adimenda ſcilicet Volaterranis] *ut non ſuſtulerit eorum nexa, atque hereditates: jubet enim eodem jure eſſe, quo fuerint Ariminenſes, quos quis ignorat duodecim Coloniarum fuiſſe, & a Populo Romano hereditates capere potuiſſe?* carebant denique Coloni omnes ante legem Juliam,

liam, niſi id per Magiſtratum domi geſtum, aut peculiari lege aliquâ adipiſcerentur, ut Viri docti conſentiunt. Vidend. Sigon. de Ant. Jur. Ital. lib. II. Cap. 3.

Verum antequam ultra progrediamur, ut clariſſimæ & finitimæ Urbis res, quantulumcumque poterimus, tentemus, laudatus Ciceronis locus diligentius nobis eſt examinandus. Ita enim illum Manutius & Gothofredus interpretantur, ut ex duodecim Coloniarum numero Ariminum expugnant. Ait P. Manutius: *Ariminum non inter duodecim Colonias fuiſſe (nam illæ deductæ ſunt in Italia, Ariminum autem in Gallia, & Ariminum annis multis ante duodecim) ſed eodem jure fuiſſe, quo fuere duodecim Coloniæ.* At vero, quum inter Scriptores de his duodecim Coloniis non conveniat, facile adducor, ut credam, vere Ariminum inter duodecim illas fuiſſe, quod Tullii verba perſpicue videntur indicare; quum præſertim rationes, quas adducit Manutius, re ipſa non ita firmæ ſint, ut eſſe illi videntur. Etenim Ariminum, niſi ego valde fallor, jam tum in Italiâ erat, & Italiæ terminus Rubico, de quo Plinius lib. III. cap. 15. *Rubico quondam finis Italiæ*, & eleganter Lucanus lib. I. v. 213.

*Fonte cadit modico, parviſque impellitur undis*
*Puniceus Rubicon, quum fervida canduit æſtas,*
*Perque imas ſerpit valles, & Gallica certus*
*Limes ab Auſoniis diſterminat arva Colonis.*

Antiquiſſimus quidem Italiæ terminus fuit Æſis, ut tradit Strabo lib. V. Geogr., fluviolus ultra Senogalliam decurrens, nunc *Fiumicino* dictus, ſeptem fere milliaribus Anconâ diſtans, quam idcirco *inter Gallicas, Italicaſque gentes terminum* appellavit Pomponius Mela de Sit. Orb. lib. II. c. 4. Victis deinde A. U. CCCCLXXI., & uſque ad internecionem fuſis Senonibus, reliquo juri Italiæ adjuncta eſt illorum Provincia, *quæ* (ut ait Panuin. in Imp. Rom. Tom. I. Theſ. Græu. p. 144. ed. Ven.) *mari, Thuſcia, Umbria, omnibuſque Æſi, & Rubicone includebatur;* quo tempore etiam Italia, quæ Æſim non excedebat, ad Rubiconem uſque producta eſt, ut diſerte oſtendit Cluverius Ital. Ant. lib. I. cap. 22. 28. & 29., Senonumque regio, ut inquit Strabo, Umbris attributa, & *Ager Gallicus* ut plurimum, quandoque etiam *Picenus* dicta, ut ſolide idem Cluverius probat d. lib. I. Ital. Ant. Cap. 29. Verum XII. iſte Coloniæ non ante A. U. C. 632., quo Coſſ. fuerunt Cn. Domitius Ænobarbus, & C. Fannius Strabo Nepos, decretæ ſunt, dum C. Grac-

C. Gracchus ſecundum gereret Tribunatum Plebis. Multo igitur ante quam hæ Coloniæ vel decernerentur, vel deducerentur, in Italiâ erat Ariminum.

Ac illud quidem, quod Manutius addit, non fuiſſe Ariminum inter duodecim illas Colonias, quia multis annis ante duodecim deducta fuerat, ejuſdem profecto eſt roboris. An iterum quia ſemel deducta erat, iterum non potuit deduci? Scio id olim in quæſtione fuiſſe; non ignoro Ciceronis reſponſum *novam Coloniam deduci non poſſe, novos Colonos adſcribi poſſe*. Verum tamen iterum novæ Coloniæ deducebantur, idque exprobat Antonio Tullius Philip. 11: *Tu autem inſolentiâ elatus, omni auſpiciorum jure turbato, Caſilinum Coloniam deduxiſti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres, & aratrum circumduceres, cujus quidem vomere portam Capuæ pene perſtrinxiſti, ut florentis Coloniæ territorium minueretur*. Piſaurum certe quater Coloniam deductam fuiſſe certo ſcimus, & ſuo loco patefaciemus; Ariminum ipſum ab Auguſto deductam Coloniam teſtantur marmora. Verum ne recentioribus iſtis exemplis utamur, Ap. Claudio P. Servilio Coſſ. A. U. CCLIX. *Signia Colonia, quam Rex Tarquinius deduxerat, ſuppleto numero Colonorum iterum deducta eſt*, ut habet Livius lib. III. Profecto Antium, quo Ti. Æmilio II Q. Fabio Coſſ. A. U. CCXCVI. Colonia deducta fuerat, ut Livius docet lib. II., L. Furio Camillo, C. Mænio Coſſ. A. U. CDXVI., ut idem Livius lib. VIII. teſtatur, *nova Colonia miſſa, cum eo ut Antiatibus permitteretur, ſi & ipſi adſcribi Coloni vellent. Naves inde longe abactæ, interdictumque mari Antiati populo eſt, & civitas data: hæc omnium prima ex Latinâ, Civium Romanorum Colonia facta eſt*. Ac, ut rem peragamus, iſtæ ipſæ Coloniæ de quibus nobis eſt ſermo, niſi ſi Panvinius fallitur, quem tamen in hoc decipi minime puto, quum docet in Imp. Rom. Cap. XI. Theſ. Gr. p. 470. ed. Ven. Colonias, quas Frontinus lege Semproniâ deductas ſcribit, ex iis XII. fuiſſe, quæ a C. Graccho, & Livio Druſo Tribunis Pl. deductæ ſunt, iſtæ ipſæ, inquam, Coloniæ in iis fere locis conſtitutæ fuerunt, quo antea Coloniæ deductæ jam fuerant. Sic porro Velitræ jam inde a Conſulatu A. Virginii T. Vetulii Romanorum Colonia, auctore Livio lib. II., T. Geganio, & P. Minucio Coſſ. iterum novis Colonis frequentata, ut idem Livius teſtatur, ac Dionyſius lib. VII., lege tamen Semproniâ teſte Frontino in lib. de *Colon.* tertio Colonia deducta fuit. Item Sveſſa L. Papirio Cur-

Curſore V C. Junio Bruto II Coſſ. Colonia ſemel deducta, iterum lege Semproniâ deducta eſt, ut idem Frontinus ſcribit. Ex quibus intelligimus, in more quidem fuiſſe, ubi Colonia eſſet, eo Coloniam novam deducere, nequaquam vero vexillum tollere, aratrum circumducere, easque ceremonias peragere, quæ in primâ tantum deductione fiebant, & quas omni auſpiciorum jure turbato in Coloniâ a ſe Caſilinum deductâ uſurpavit Antonius.

Sed eo, unde huc digreſſa eſt, revertatur oratio. Piſaurenſes itaque uſque ad belli Socialis ſive Marſici, ut appellant, tempora cives Romani fuerunt, jure tamen ſuffragii caruerunt; hoc autem jus adepti ſunt, quando lege Juliâ datum eſt omnibus ferme Italis, ac tum demum certa illis tribus aſſignata fuit. Ac, ut planius rem explicemus, breviter ſocialis belli exitus eſt indicandus. Plerique Socii P. R. ob acceptam civitatis repulſam, infenſiſſimis animis cum Romanis bellum gerebant; quum autem Etruſci, Umbri unà cum aliis quibuſdam finitimis defectionem molirentur, ut Appianus lib. I. Civil. tradit, veritus Senatus, ne hoſtibus undique orientibus, Urbs opprimeretur, Italis omnibus lege Juliâ civitatem, quod maxime exoptabant, donavit cum jure ſuffragii: *verum novos Cives non in XXXV. tribus, quot tunc erant, diſtribuit, ne veteres in ſuffragiis vincerentur numero, ſed redactis eis in decurias, novas alias tribus conſcripſit* (quarum unam Camiliam fuiſſe, conſtans eſt doctorum Virorum opinio) *in quibus illi poſtremi ferrent ſuffragia*. Quo fiebat, ut quum quinque & triginta veteres tribus in primis vocarentur, quæ ſupra dimidium reliquas excederent, novorum civium ſuffragia nullius ferme eſſent momenti. *Quod conſilium*, ut idem Appianus ait, *ſive tunc non animadverſum eſt, ſive Socii contenti modico tum non requirebant amplius, poſtea tamen deprehenſum novarum ſeditionum fuit materia*. Ac ad eas quidem comprimendas a Cenſoribus Marcio & Perperna, ut Panvin. de Civit. Rom. Cap. LI. Theſ. Gr. Tom. I. p. 380. tradit, decem illæ tribus, ſeu ut alii opinantur, octo, quadriennio poſt quam inſtitutæ fuerant, diſſolutæ ſunt, earumque tribules in quinque & triginta veteres diſtributi. Reſtitutas poſtea tribus illas fuiſſe docent nos marmora. Id porro factum fuiſſe ſuſpicatur Panvinius loco cit. a Claudio Imp. in Cenſurâ, quam cum L. Vitellio geſſit A. U. DCCC.

Quando igitur lege Juliâ Italis omnibus civitas Romana cum

cum jure ſuffragii data eſt, & octo aut decem tribus additæ ſunt, in quibus novi cives ſuffragium ferrent, Piſaurenſes fortaſſe Camiliæ tribui adſcripti fuerunt: eâ vero paullo poſt, ut modo diximus, cum reliquis diſſolutâ, in Palatinâ tribu cenſos fuiſſe conjectari poſſumus. Neque iis in Urbanâ tribu Palatinâ ſuffragium ferre probro duxerim; nam, quoquo modo ſe res habuerit vetuſtioribus illis temporibus, quando libertini dumtaxat in Urbanis tribubus cenſebantur, nobiliſſimos certe Viros, & ſummis muneribus in Rep. functos, & principes Coloniarum Municipiorumque Urbanis tribubus adſcriptos fuiſſe innumeris propemodum cumulatis exemplis luculenter probat doctiſſimus Fabrettus cap. VI. Inſcr. Dom. p. 459. Eidem tribui Palatinæ eos quoque Colonos adſcriptos fuiſſe arbitror, quos tribu Camiliâ jam diſſolutâ Piſaurum deduxerunt L. Sulla, ut oſtendemus, Julius Cæſar, ſeu Auguſtus, & M. Antonius. Ac demum Camiliâ tribu a Claudio reſtitutâ, Piſaurenſium plures, veteres nempe illi cives, quorum majores Camiliâ tribu cenſi olim fuerant, ad generis ſui oſtentationem eadem fortaſſe cenſeri iterum cœperunt; plures alii, ii ſcilicet, qui in poſtremis deductionibus Piſaurenſem civitatem adepti fuerant, Palatinam retinuerunt; ex eo autem tempore promiſcue in qualibet tribu cenſos fuiſſe facile mihi perſuadeo: comitiis enim, ſuffragiiſque penitus ſublatis, quum tribum cives Romani honoris dumtaxat cauſâ profiterentur, non eſt cur miremur pro illorum arbitrio plerumque additam fuiſſe.

SIMNIANO. Male ex Donio edidit Gorius SEMNIANO; In aliis tamen Inſcriptionibus legitur SEMNIANO, ET SCYMNIANO.

EQVO PVBLICO. *Equo Publico* donato, ſeu honorato; ita abſolute in lapidibus: aliquando tamen additur *Donatus* vel quid ſimile. *Equo Publico Donatus* in Grut. p. CCCCIV. 4. CCCCVII. 6. *Ornatus* CCCCLVIII. 2. *Honoratus* CCCXCV. 4. CCCCIV. 2. CCCCXXV. 6. *Donatus ab Imperat.* CCCCIV. 5. *Exornatus ab Imp.* CCCCXV. 3. MCI. 5. *Quid ſit Equus Publicus*, ait Grævius in Præfat. Tom. I. Theſ. Antiq. Rom. *jam ſatis notum eſt, nimirum qui dabatur a Cenſore ei, qui erat equeſtri loco natus, quique haberet equeſtrem cenſum, ſi Cenſoribus placeret, ut mereret in turmis legionariis Roman. Equitum, cuique ad alendum illum equum erat aſſignatum ſtipendium.* Hinc intelligimus non omnes, qui Equites Romani eſſent, hoc

eſt

Digitized by Google

eſt qui cenſum equeſtrem haberent, equo publico ornatos fuiſſe, ſed eos dumtaxat, quibus a Cenſore, vel Imperatore Equus Publicus datus fuiſſet; inde in Inſcriptionibus ſimul quis EQ. ROM. EQ. PVBL. dicitur. V. Gr. p. CCCCXXXVI. 5. CCCCLXXX. 5. & alibi.

IIVIR. QVINQ. En duæ P. Alfii dignitates, IIViratus nempe & Quinquennalitas. V. ſupra Not. XXVIII.

HVIC PRIMO OMNIVM. Eximiæ profecto fuerunt P. Alfii liberalitates, quæ Populum Piſaurenſem impulerunt, ut ei honorem nomini adhuc conceſſum impertiret. Quod ad marmoris fracturam attinet, illam fideliter exhibui: feliciter deficientes literas ex Gruteriana Inſcriptione p. CCCLII. 1. reſtituit Donius

HVIC PRIMO OMNIVM OB EXIMIAS

LIBERALITATES ET ABVNDANTISSIMAS

IN EXEMPLVM LARGITIONES BG POS

verum lapidis diminutionem non indicavit.

BG. POS. Scaliger in Ind. Gruter. cap. XX. interpretatur *Biga Gratis Poſita*. Id ſi ſtatuamus, illud neceſſario ſequitur in more fuiſſe, ut qui hoc honore potiretur, aliquid Reipublicæ perſolveret; niſi idcirco bigam gratis ei poſuiſſe Piſaurenſes intelligendum ſit, quod in ejus dedicatione nihil ab eo accepiſſent: ſolitas enim fieri in his dedicationibus largitiones, innumeræ pene Inſcriptiones teſtantur: Urbinatis in mentem venit a Fabretto vulgatæ cap. IX. Inſcr. Dom. n. 517. DIVISIT OB DEDICATIONEM BIGAE DECVRION. SINGVL. X. V. COLLEGIS OMNIBVS VIII. PLEBEI ET HONORE VSIS X. III. L. D. D. D. At quum inter B & G nullum adſit punctum, *Bigam* tantum ſignificari puto per conſonantes ſyllabæ initiales; quod fieri aliquando conſueviſſe notavimus ſupra not. XXVIII. Mallem igitur cum Gorio interpretari *Biga Poſita*, ut habet etiam laudata Gruteri Inſcriptio p. CCCLII. 1. De Bigis, quibus, quove in loco, & quam ob cauſſam ponerentur fuſe Chimentell. de Honor. Biſell. cap. XLI.

EX AERE CONLATO Collationem proprie dici ſolutionem tributorum, quæ a privatis Principi debentur, animadvertit Cl. Gorius ex l. *Diu* 7. Cod. de Suſcept. & Arc. *Diu*, inquit Gratianus, *minime penes ipſos ſuſceptores maneat facta collatio*, *ſed*

O

*ſed ſtatim quodcumque a provincialibus fuerit exſolutum, ſacris theſauris inferatur*. In vetuſtis tamen Inſcriptionibus ſignificatur voluntaria populi contributio; id vero mirificum ordinum amorem in eum, qui honoratus eſt, ſatis oſtendit. Hinc in funere clariſſimorum Virorum populum ad ſui amorem erga defunctum teſtificandum æra contuliſſe legimus; in funere nempe Menenii Agrippæ, qui plebem in prima ſeceſſione cum patribus in concordiam reſtituit Liv. lib. II. cap. 22., & P. Valerii Coſ., qui in recuperando capitolio, duce Herdonio a ſervili manu occupato, interfectus eſt. Liv. lib. III. c. 18.

## XXXII.

HAnc nobis Inſcriptionem exhibet baſis ſtatuæ eruta A. D. 1576. eodem loco, quo ſuperior. Poſita vero fuit Arriæ M'. Glabrionis Coſ. uxori, quod ea ſingulari aliquo beneficio populum Piſaurenſem ornaverit.

PLARIAE. Plaria gens nota Grutero ex noſtrâ Inſcriptione, quam vulgavit p. MXXIV. 1. Id certe non animadvertit Fabrettus, qui eam gentem inter incognitas Grutero collocavit cap. IX. Inſc. Dom. n. 336. Ex ſchedis Vaticanis iterum Inſcriptionem noſtram edidit Malvaſ. Marm. Felſin. p. 345. ita mendoſe, ut nihil ſupra.

VERAE PRISCILLAE. Vides hic tempora, quibus mulieres ſexcentis nominibus de induſtria onerabantur. Verum monſtri inſtar eſt vetus Inſcriptio in cap. I. Inſc. Dom. Fabretti n. 148. L. SEPTIMIAE PATABINIANAE BALBILLAE TIRHAE NEPOTILLAE ODENATIANAE, &c.

M'. *Manii*. Fabrettus emendavit Gruterum, in quo habetur M. *Marci*.

ACILI GLABRIONIS COS. Plures ex Aciliis M'. Glabriones Conſulatu potiti ſunt; quem vero indicet noſtra Inſcriptio ſtatuere haud in promptu eſt; tribus potiſſimum convenire poteſt: Manio illi, qui cum Trajano, Domitiano Imperante Conſul fuit: alteri M'. Acilio Glabrioni, qui A. U. DCCCLXXVII. cum C. Bellicio Torquato Conſulatum geſſit: demum M'. Acilio Glabrioni, qui Commodi Coſ. V. collega fuit. Utique Scaliger in Indice Gruter. cap. XXIII. ad eum M'. Acilium Glabrionem Inſcriptionem retulit, qui cum C. Bellicio Torquato, ut dicebamus, Coſ. fuit. Sed audiendus Reineſius, qui Epiſt. XXXI. hæc habet *M'. Acilium Glabrionem Conſulem fece-*

Digitized by Google

*fecerunt ſine auſpiciis extra comitia. De Glabrionibus non ignoro fuiſſe Conſulares; ſed ſi iſtum lapidem (1. pag. MXXIV.) de Conſule exponas, Arria fuerit Flaminica Conſulis, quod intolerandum eſt; non enim niſi poteſtatibus majoribus, & conſecratis ſacerdotia inſtituebantur. Piſaurenſem vero Flaminicam fuiſſe, incertum cujus, ſimilem Abejenæ iſti de qua 8. p. CCCXXII. .... patet e ſtudio municipum, a quibus hoc monumento honorata eſt: PITINATES PISAVRENSES, ita enim exponenda ſunt P. P, PVBLICE.* Atqui totus hic locus tam gravibus ſcatet erroribus, ut ſi ullus eſt, ex quo cognoſci poſſit, quantum novitatis amor, & ingenii quidam æſtus doctiſſimum Virum abripiebat, hic certe ſit. Primum ſtatuit Arriam, Flaminicam fuiſſe Piſauri. Quorſum tandem iſtud? Romæ etiam Flaminicæ, & quidem plures erant, quam in Coloniis. Tum Conſulatum Glabrioni abrogat, ne Deus videatur Flaminicis inſtitutis, & ut Piſaurenſem Flaminicam in matrimonio habere poſſit, COS immutat in COI, quod acriter reprehendit Holthenus in Varior. Corrig. & animad. ad repetit. Gruter. Edit., quaſi vero abſque expreſsâ conjugii mentione, plana non eſſet Inſcriptio. Demum adeo ſimilem Arriam hanc Abejenæ noſtræ putat, ut eam quoque ab iiſdem Pitinatibus Piſaurenſibus, quos literis ſingularibus P. P. in ſcenam producit, monumento poſito honoratam exiſtimet, quod intolerandum videretur, niſi literæ illæ etiam in Gruterianam editionem irrepſiſſent loco D. D. quæ habentur in marmore, & quæ exponi debent *Decreto Decurionum*.

COS. ita in marmore, ſecus quam Reineſius exiſtimabat. Manium autem Acilium Glabrionem Conſulem, Arriæ virum fuiſſe vel ex eo intelligitur, quod ſecundo caſu efferatur: ita enim veteres, maritos denotaſſe diximus ſupra not. VI. & fuſe oſtendit Cl. Fabrettus cap. I. Inſcription. Dom. Porro exemplis ab eo cumulatis aliud addere non erit injucundum, ex antiquo marmore petitum, quod Eugubii vidi ad Pontem, quem vulgo *Sappacenere* dicunt

GAVIAE A. F

CN. DECI SEX. F

CLV. PAETI

 D.D.

D. D. Ita profecto in marmore, ut jampridem monuit Fabrettus. *Decreto Decurionum.*

## XXXIII.

Prodiit primum hæc Inſcriptio in Collectione Doniana operâ & ſtudio Viri clariſſimi, & de Republica literariâ optime meriti Antonii Franciſci Gorii nuper editâ Claſ. V. 18.

PATRONO COLONIAE. De Patronis Coloniæ alias egimus.

L. ARRIO P. F. ARRIANO AVFIDI.... FILIO. Si fuit AVFIDIVS GENITOR (utar verbis vetuſtæ Inſcriptionis p. DCCLXVI. 7.) Aufidius & ipſe filius fuerit neceſſe eſt; quum vero L. Arrius dicatur, per adoptionem a P. Arrio quopiam factam, in Arriam familiam tranſiiſſe manifeſte deprehenditur.

PRAETORIS DESIGNATI. Siquidem Magiſtratus, hic municipalis eſſet, Capuanorum elationem, quorum Duumviri Prætores appellari volebant, quam carpit Cicero in alterâ agrariâ, & in Piſaurenſibus inveniremus. Coloniarum certe Municipiorumque ambitionem maximam fuiſſe, inficiari nemo poteſt. Quinquennalis Alatrinus *Cenſor* dicitur, ejuſdemque Oppidi Ordo, *Senatus* in veteri Inſcriptione pag. CLXXI. 8. Ne multa: ipſum Conſulis nomen intactum non fuiſſe docuerunt Emus Noriſius Cenot. Piſ. diſ. I. c. 3. & Fabrettus Inſc. Dom. cap. X. pag. 723. Piſaurenſes vero reliquis in hoc quidem non conceſſiſſe, teſtatur uſurpatus aliquando ab Aedilibus *Curulis* titulus. Vid. Not. I. & XXXIX.

PATRONI COLONIAE FILIO. Ob merita patrum filiis quoque a publicis Corporibus honores exhiberi ſolitos Viri docti animadverterunt. Accedant teſtes ex noſtris, lapis hic, & locupletiores alii n. XXXIX. & XL. in quibus OB MERITA M. NAEVI CERASI PATRIS a Collegio fabrum ſtatuæ ponuntur ejus filiis M. M. Næviis Juſto & Magno.

## XXXIV.

HÆc quoque Tabula marmorea ad D. Claræ A. D. 1565. reperta fuit. Primus edidit Fabrettus Inſc. Dom. cap. VI. n. 165. Prodiit iterum in Doniana Collectione Cl. IIII. 1. Antonii Franciſci Gorii annotatione aucta, quam hic exhibeo. *Hoc eſt Cajo Aufidio C. F. Camilia (tribu) Vero, Pontifici, Quæſtori, Duumviro, Quinquennali, in cujus honorem Plebs Urba-*

Digitized by Google

*Urbana Piſaurenſium ſtatuam ex ære conlato dedicavit.* Notam *illam* Q. *quæ expreſſam dignitatem* PONT. *Pontificatus conſequitur, aliorum lapidum exemplo interpretatus ſum Quæſtori, non Quinquennali, quæ dignitas poſt* IIViratus *honorem perſpicue ſignificatur in hoc lapide. Ita diſerte in Gruteriano Theſauro pag.* CCCVI. 2. L. PORCIO QVIRIN. SATVRNINO PONTIF. QVAE. *ideſt Quæſtori legitur. Non enim Pontifices per quinquennium creati, qui fuere tum in Collegiis, & Coloniis, tum in Municipiis perpetui, poſteriori vero ævo temporarii, ut cenſet Noriſius Diſſ. I. Piſanarum Tabularum auctoritate; quod ſi in antiquis monumentis* PONT. QVINQ. *dicantur, ut in Gruterianâ Gaza pag.* CCCCXXXVII. 5. CCCCXLVI. 2. CCCCLXXIX. 1. *duas eorumdem dignitates in his expreſſas exiſtimat idem Noriſius. In iiſdem Coloniis & Municipiis fuere Pontifices majores, qui ad ſimilitudinem Pontificatus maximi, quo Romæ Imperatores inſigniti erant, interdum etiam Pontifices maximi appellati ſunt, ut colligitur ex arâ Gruterianâ* CCCV. 7. *Pontifices præterea conſtituti minores, Diis item, & Genio earumdem Coloniarum, & Municipiorum deputati, & Collegiis præpoſiti, qui ſacris faciundis praeſſent.*

CVIVS DICATIONE. Ita ſæpe pro *dedicatione* Vid. & Ciceronem pro Balbo cap. 11.

DEDIT DECVRIONIB SING HS N̄ XXXX AVGVSTAL HS N̄ XX PLEBEI HS N̄ XII. Illud apud veteres in uſu fuit, ut qui ſtatua aut biga honoraretur in illius dedicatione ABVNDANTISSIMAS populo daret LARGITIONES ſive pecuniæ, ſive panis aut vini; epula item, viſcerationes, EXIMIAm denique præſtaret LIBERALITATEm. Mirifice morem hunc illuſtravit Plinius lib. X. epiſt. 117. *Qui virilem,* inquit, *togam ſumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magiſtratum, vel opus publicum dedicant, ſolent totam Bulem, atque etiam exiguum numerum vocare, binoſque denarios, vel ſingulos dare* &. epiſt. 118. *Invitatio & numero modum excedit, & quaſi per corpora, non viritim ſingulos ex notitiâ ad ſolennes ſportulas trahit.* Ac mihi quidem eximiam C. Aufidii largitionem conſideranti, duo notanda eſſe viſa ſunt: Primum ex proportione pecuniæ, quâ quis donatus fuit, Ordinem Auguſtalium medium fuiſſe inter Decuriones & Plebem, quod pridem animadverterat Chimentell. de Hon. Biſell. cap. XL. & Noriſ. Cenot. Piſan. Diſ. I. c. 6. Deinde magnas utique fuiſſe opes Piſaurenſium, qui tantum una largitione profuderint, neque enim hæc niſi magno fieri potuit, quum præſertim modum adeo excedat a Plinio deſcriptum.

ADIE-

Digitized by Google

ADIECTO PANE ET VINO. Pluſquam juſtum epulum diſtribuit C. Aufidius. Nam præter decem denarios ſingulis Decurionibus, quinque Auguſtalibus, tres Plebi, panem, & vinum omnibus dedit. Panis & vini largitio habetur & in Gruter. p. CCCXLVII. 1. CVIVS DEDICAT. DECVRIONIBVS ET LIBERIS EORVM PANEM ET VINVM ET S-S XX N̄ ITEM MVNICIPIBVS S-S IIII N DEDIT.

ITEM OLEVM. Creſcit adhuc EXIMIA C. Aufidii LIBERALITAs; oleum enim quoque dedit in publicis balineis ad lavationes. De olei diſtributione plura erudite Burmann. de Vectigal. diſ. III., ſed in eo fallitur, quod a Nerone primum ad voluptatem oleum datum ſcribat, quum diſerte teſtetur Dio lib. XXXVII. id a Fauſto Sullæ filio antea factum. *Sub idem tempus*, inquit, (Afranio & Metello Coſ.) *Fauſtus Sullæ filius ludos gladiatorios in honorem patris exhibuit, populumque lauto convivio excepit, iiſque balnea & oleum donavit.* Non raro in lapidibus antiquis oleum populo diviſum vidimus ad uſus, ut puto, vitæ neceſſarios: in balineis tamen ad voluptatem, duplex eſt in Grut. exemplum: primum p. CCCLXXVI. 5. ibi L. Cæcilius Cilo HS N̄ XXXX Municipibus Comenſibus legavit QVORVM REDITV QVOTANNIS PER NEPTVNALIA OLEVM IN CAMPO ET IN THERMIS ET BALINEIS OMNIBVS QVAE SVNT COMI POPVLO PRAEBERETVR: alterum p. CCCLXXVIII. 1. ibi L. CAECILIVS OPTATVS jubet *die IIII. Iduum Junii* EX -X-CC OLEVM IN THERM. PVBLIC. POPVLO PRAEBERI. Omnium vero luculentiſſimum in Fabrett. Inſ. Dom. cap. VI. n. 164. ibi *L. Caſidius Dexter Dedicatione*, ſtatuæ fortaſſe, DECVRIONIBVS VIR AVG. ET. PLEBI. VRB. EPVLAS DEDIT ET OLEVM IN BALINEO POPVLO ITEM PLEBI PANES ET VINVM.

BALNEIS. Balineis. Hanc vocem antiquam eſſe teſtatur Varro lib. VIII. de L. L. cap. 41. non raro in lapidibus uſurpatur, & quidem elegantiſſime. Cæterum non ex hâc Inſcriptione tantum notæ ſunt balineæ Piſaurenſes, ſed & ex Ciceron. Philipp. XIII. 12. *Alter*, inquit Cicero, *eſt deſignatus* (Tribunus ab Antonio) *Viſejus neſcio quis, fortis, ut ajunt, latro, quem tamen temperantem fuiſſe ferunt Piſauri balneatorem*: hanc enim germanam eſſe loci hujus lectionem nullus dubito, licet ſecus quidam ſenſerint. Illarum rudera A. D. 1532. dum Serm̄us Dux Franciſcus Maria I. novâ murorum munitione

Urbem

urbem circumdare cœpiſſet, detecta fuerunt, & a Franciſco Vita Piſaurenſi, peculiari libello, quem Duci nuncupavit, nec tamen typis edidit, fuſe deſcripta. Vitæ commentarius periit: illius tamen, thermarumque ab eo illuſtratarum memoriam ſervavit nobis Hieronymus Arditius in Annotationibus alias laudatis, & M. Antonius Gozze in Hiſtoriæ Piſaurenſis libro ſuperius memorato, cujus en verba: *In quella parte della Città, che guarda il mezzogiorno ſotto il Cavaliere, che dicono, della Cortina, che dalla Rocca va a terminare al Baloardo di S. Chiara, ſi vedono nel profondo della foſſa alcune reliquie di antichiſſimo edificio, il quale, per quello, che ne ha laſciato ſcritto Franceſco Vita Cittadino, e Notajo della Città di Peſaro, che viſſe, e vide l'anno 1532. quando Franceſco Maria della Rovere, Signore di Peſaro, fondò ſopra quel ſito le mura della publica fortificazione, fu per commune giudizio creduto, e conchiuſo eſſere ſtato Terme antiche fabbricate dai Romani, conoſcendoſi, dic' egli, dalle celle concamerate, dai condotti, e ridotti per le acque, dalle cloache, dagli evaporatorj, e da molti frammenti di pietre concave, ed anche da un Leone di bronzo colla fiſtola in bocca da gittar acqua, che a chi lo mira di preſente vede eſſere ſimiliſſimo, non di grandezza, ma di figura, a quei Leoni numidici, che ſi vedono in Roma gittar acqua in alcune fontane, ec.*

## XXXV.

NObilis Vir Mutius Diplovatatius, celeberrimi illius J. C. Thomæ Diplovatatii nepos hanc Inſcriptionem, quâ ejus ædes ornabantur, dono dedit Octaviano Vulpellio, qui eam Tifernum Mataurenſe in Patriam ſuam aſportavit. Quo vita functo, heredes ad Urbem Sancti Leonis, ubi nunc exſtat, marmor detulerunt. Edidit Malvaſia Marm. Felſin p. 318. ex Schedis Vaticanis, & Fabrettus cap. X. Inſcr. Dom. n. 211.

PRIMIPIL. Primipilus: primus Pilanorum centurio, *qui*, ut ait Vegetius lib. II. cap. 8., *non ſolum aquilæ praerat, verum etiam quatuor centurias, hoc eſt quadringentos milites, in prima acie gubernabat*.

BIS PRÆF. EQVIT. Bis Præfectus Equitum; non Equitum Romanorum, ſed alæ equitum; quod munus poſt cohortem dabatur, ut ex Svetonio apparebit: quapropter in antiquis lapidibus *Præfecti alis* ſæpenumero occurrunt. Similis fere eſt Inſcriptio Gruteriana p. CCCXLIX. 4. PAVLLO AEMILIO PRI-

PRIMIPIL. BIS PRAEF. EQVIT. Tantæ dignitatis erant Præfecti Equitum, ut Tribunis Legionum aliquando prælati ſint, quod Claudius, ut tradit Sveton. cap. 25. immutavit, quando *equeſtres militias ita ordinavit, ut poſt cohortem alam, poſt alam Tribunatum Legionis daret*. Recte igitur Tribunatus ultimo loco in noſtro marmore ponitur, ad quem poſt tot militiæ gradus P. Cornelius aſcendit.

PRAEF. CLASS. Ita in Collectione M. Antonii de Gozze. Claſſis nomine terreſtres etiam militias intelligi docent Feſtus in V. *Claſſis*, & Gellius lib. X. cap. 15. & Servius ad illud Virgilii Æneid. lib. VII. v. 715.

*quos frigida miſit*
*Nurſia & Hortinæ Claſſes*

ubi *Claſſibus* ſignificari equites ſcribit: Verum hic maritimam aliquam Claſſem deſignari arbitror, cujus Præfectus fuerit P. Cornelius; Etenim præter perpetuas illas Claſſes, quæ ad maris tutelam, & ad annonæ comportationem, inſtitutæ fuerant, Ravennatem nempe, & Miſenatem, Alexandrinam, Africanam, Ponticam, & Mœſicam, &c. quas & vetuſti Scriptores, & antiqua marmora memorant, plures alias in Imperio Romano fuiſſe pro ratione temporis inſtructas docet nos Leo Imperator Tact. c. 19. *Triremium ſingularum, militumque, qui in eis vehantur, numerum definire facile non eſt: temporum enim ipſorum opportunitas ad copias hoſtium expugnandas tum triremium numerum, tum militum etiam, omneſque res præterea ad bellum neceſſarias indicabit*. Hæ porro, quum vel nec ita magnæ fuerint, vel ad certum duntaxat tempus conſtitutæ, peculiari nomine caruerunt. Hinc qui illis præerant, *Præfecti Claſſis* tantum dicebantur; atque ita occurrunt in Grut. p. CCCLXX. 1. CCCCLXXIV. 8. & in Gudio pag. CLXXIX. 2. Sed, ſi conjecturis res agenda ſit, fuit ne P. Cornelius PRAEFectus CLASSiariorum? De Claſſiariis erudite Fabrettus de Col. Trajan. pag. 69. Profecto ab ingenuo regebantur, quem *Præfecti* nomine appellatum fuiſſe ſvadet Livius lib. XI. a Fabretto citatus. *Naves XX. deductæ, navalibus ſociis civibus Romanis, qui ſervitutem ſerviiſſent, complerentur, ingenui tamen iis PRÆESSENT*: & clarius Tacitus Ann. lib. XIII. *Clodius Quirinalis PRÆFECTVS remigum, qui Ravennæ haberentur*. Ac illud quidem animadverſione dignum eſt, quod P. Cornelius a pedeſtrium copiarum munere nempe centurionatu, ad equeſtris alæ, inde ad navalem, ſive Claſſis, ſive Claſſiariorum Præfecturam



Digitized by Google

cturam aſcendit, mox ad pedeſtris militiæ dignitatem, Præfecturam ſcilicet cohortium quatuor civium Romanorum, demum ad univerſæ legionis Tribunatum. Id porro, ſecus atque nunc fit, in more olim fuiſſe, diſcimus ex Svetonio loc. ſup. cit.

PRAEF. COHORTIVM CIVIVM ROMANOR. QVATVOR IN HISPAN. Præfectum cohortis dictum, qui cohorti legionariæ præerat, ſcripſit Panvin. Imp. Rom. cap. XVI. Poſtulatus ob id eſt a Grævio in Præfat. Tom. I. Theſaur. Ant. Rom; qui nullos in legione Præfectos, ſed tantum cohortium ſocialium, & auxiliarium fuiſſe oſtendit. Hinc patet quatuor has cohortes, quarum Præfectus fuit P. Cornelius, non cohortes legionarias fuiſſe, ſed ex illis, quæ ab Imperatoribus inſtitutæ, variis in locis collocatæ in præſidiis erant, de quibus idem Panvinius agit cap. XX. Imp. Rom. earum catalogum ex antiquis lapidibus a ſe exceptum recitans. Porro in his cohortibus, quando cives Romani militabant, cohorti titulum addebant *Civium Romanorum*. Inde Grut. pag. CCCLXXXIX. 2. PRAEFECTO COHORTIS SECVNDAE CIVIVM ROMANORVM & pag. DLXXIV. 5. COHORS VIII. VOLVNTARIORVM CIVIVM ROMANORVM, & alibi.

TRIB. MIL. De Tribunis militum plura docte de more tradit J. Lipſius in lib. de Mil. Rom. Maximus honorum a P. Cornelio geſtorum fuit: idcirco ultimo loco deſignatur. Cuique legioni ſex præerant Tribuni, tantæque dignitatis erant, ut ab apparitoribus præcederentur, quos illis Alexander Severus ſuſtulit. Lamprid. in ejus vitâ cap. LII. *Apparitores nullos paſſus eſt Tribunis, aut Ducibus, niſi milites, juſſitque, ut ante Tribunum quatuor milites ambularent.* Quamobrem Horatius libertino patre natus, quum Tribunus militum fuiſſet, omnibus in invidiâ fuit, ut ipſemet Sat. VI. lib. I. teſtatur

*Nunc ad me redeo libertino patre natum,*
*Quem rodunt omnes libertino patre natum*
*Nunc, quia, Mæcenas, tibi ſum convictor, at olim*
*Quod mihi pareret legio Romana tribuno.*

Unum tamen inter hos Tribunos diſcrimen interceſſit, quod alii laticlavii eſſent, alii anguſticlavii, alii ſimpliciter Tribuni; de Tribunis laticlaviis V. not. ſeq. Tribuni anguſticlavii erant ex equite nati. Svetonii pater, ut ipſe in Othone cap. X. teſtatur, fuit *tertiadecimæ legionis Tribunus anguſticlavius*. Qui vero nec ex Senatore, nec ex Equite natus eſſet, pure Tribunus dicebatur, ut Horatius.

II VIRO ET II VIRO QVINQ. Duumviratum primo, mox Quinquennalitatem P. Cornelius geſſit. V. not. XXVIII.

## XXXVI.

QUando, & quo loco ingens, baſis hanc continens Inſcriptionem, effoſſa fuerit, docuit Æmilius Mancinius J. C. Piſaurenſis, cujus verba not. IV. dedimus. Eam vulgarunt Smetius fol. LXXVI. 6. Manutius in Orthogr. in V. *Cerialis*. Panvin. in Imp. R. cap. XVIII. & XX. demum Gruterus pag. CCCCXXXIII. 1. omnes tamen inemendatam exhibent.

C. LVXILIO. Jam pridem Fabrettus in emendat. Gruterian. pag. 3. Gruterum male LVXILLIO edidiſſe notaverat.

POMPT. Animadverſione dignum eſt T illud ſuperimpoſitum, quod alii Editores neglexerunt.

C̄. V̄. Ita perſpicue in marmore, quod & Fabrettus laudatâ pag. 3. Emend. notavit. Male Smetius C. N. Male Gruterus C. R. C̄. V̄. *Clariſſimo Viro*. Clariſſimi titulum jam inde a Tiberii temporibus auditum, ac Senatorio Ordini tributum, ut patet ex l. *curator* 5. ff. de Curat. furioſ. proceſſu temporis provinciarum quoque Rectoribus communicatum, obſervavit doctiſſimus Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. cap. II.

CVR. RER. PVBLICAR. PISAVR. ET FANEST. Hoc eodem munere functum C. Julium Priſcianum vidimus Inſcr. IV. & XXII. Vid. not. IV.

LEG. LEG. X̄ GEM. GORDIAN. Legatus Legionis Decimæ Gemellæ, ſeu Geminæ Gordianæ. Legionem decimam, Geminam dictam paſſim teſtantur lapides. Gordianæ vero cognomen, unica hæc Inſcriptio illi aſſerit. Gordianæ item dicuntur tres aliæ legiones. LEG. II ADIVT. P. F. GORDIANA, in Inſcriptione Doniana Cl. III. 48. quam Reineſius parum accurate expreſſam ediderat Cl. III. 39. LEG. III. ITAL. F. GORDIAN. in Gruter. pag. LIII. 10. LEGIO XIII. G. GORDIAN. pag. LXXX. 1. Cur Legiones Gemellæ, ſeu Geminæ dicerentur, docet Urſatus de Not. Rom in *V. Leg. X. Gem.* ex Cæſaris lib. III. de Bello Civili cap. 2. ubi Pompeii legiones recenſentur. *Unam ex Sicilia veteranam, quam factam ex duabus GEMELLAM appellabat*. Ex eâ vero GORDIANAE appellatione Inſcriptionem ad Gordianorum tempora pertinere manifeſte deprehenditur, quod & noſtri ævi decus Scipio Maffæjus innuit p. I. aurei

Ope-

Digitized by Google

Operis Veron. Illuſtrat. lib. VII. pag. 159. Edit. fol. veroſimile enim eſt, iis e medio ſublatis, legiones, ut novos Principes Gordianis inimicos adularentur, Gordianorum nomina ſtatim abjeciſſe, & alia pro ratione temporis aſſumpſiſſe. In eo autem lapſus fuiſſe doctiſſimus Panvinius videtur, quod Imp. Rom. Cap. XX. Tom. I. Theſ. Græv. p. 527. Ed. Ven. nomina legionum Pop. Rom. ſub Imp. Cæſ. M. Aurelio Alexandro Aug. XIII. limitibus diſpoſitarum recitens, in Pannoniâ ſuperiore Legionem X. Geminam Gordianam Piam Felicem recenſeat, quum certum ſit, niſi poſt Alexandri Severi necem legionem decimam, Gordianam dici non potuiſſe. Porro legiones ab Imperatoribus nomen acceperunt, vel quia ab ipſis inſtitutæ erant, ut de duabus Trajanis, ſecunda Ægyptia, & trigeſima Germanica tradit Dio. lib. LV. vel quia honoribus, & titulis decoratæ, vel quia iiſdem præcipue fideles, & devotæ, ut de Claudianis legionibus, ſeptimâ & undecimâ, quæ Claudium Imperatorem ab inſidiis Camilli liberaverant, idem Dio. lib. LX. tradit.

IVR. REG. TRANSPAD. Gruterus edidit CVR. REG. TRANSPAD. Mendax hæc noſtræ Inſcriptionis lectio fucum fecit doctiſſimo Maffæjo, qui eâ fretus, extraordinarios illos Magiſtratus, qui per Italiam pro re nata mittebantur, licet plerumque *Correctores* dicerentur, Curatores aliquando dictos fuiſſe ſcribit par. I. Veron. Illuſ. lib. VII. pag. 158. & ſeq. Hoc ſatis ne verum ſit, haud ſcio; Equidem Svetonii locus in Tit. cap. 8. ubi habetur, Titum *Curatores reſtituendæ Campaniæ*, quæ ex Veſevi montis conflagratione maximas paſſa fuerat ruinas, *ex Conſularium numero ſorte* duxiſſe, nihil probat; ii enim in Campaniam, non ut jus dicerent, miſſi ſunt, ſed ut curarent, quæ perierant, aut damnum perpeſſa fuerant, in priſtinum ſtatum reſtitui; quod officium Romæ *Curatores Operum Publicorum* fortaſſe exercebant. Vid. Reineſ. Cl. IX. 54. Gruterus p. CCCCXCII. 6. Inſcriptionem habet hujuſmodi

CVRATORIS.

ILLIRICI

Donius item Cl. V. 173. aliam habet, in quâ

.......ONTIFICI CVRATORI

.......VMBR . ET PICENI



Digitized by Google

Sed ex his fragmentis, quibus tanta deſunt, nihil ſolidi colligi poteſt. Rectius igitur, & ad lapidis fidem Smetius, qui IVR. REG. habet. Juridico Regionis Tranſpadanæ. Quam dignitatem in ipsâ Tranſpadanâ Regione alia quoque exhibet vetus Inſcriptio Veronenſis in Donianâ Collectione nuper edita Cl. V. 214. & in Gudio pag. CXXV. 4.

L. GABONIO ARVNCVLEIO ACILIO

FAB. SEVERO. C. V. IVRID. REG. TRANSPAD.

Juridicos, qui per Italiam jus redderent, M. Aurelium inſtituiſſe tradit Capitolin. in ejus vit. cap. 11. *Datis Juridicis Italiæ conſuluit, ad id exemplum, quo Hadrianus Conſulares Viros reddere jura præceperat.* De his docte diſſerit modo laudatus Marchio Scipio Maffejus loco citato: Verum in eo deceptus fuit Vir doctus, quod ex Dionis fragmento, Macrino imperante, Juridicos ſublatos fuiſſe ſcribat, quod & Reineſius antea notaverat Cl. VI. 129. quum ex noſtra Inſcriptione illos Gordiani ævo adhuc duraſſe evincatur.

CVR. VIAR. Curator Viarum. Quantæ dignitatis fuerit hoc munus, ex iis colligi poteſt, quæ notavit Berger. de Viis Militar. lib. I. Sect. I. § 1. & ſeq.

PRAEF. ALIMENTOR. CLODIAE ET COHERENT. Jam inde a Reipublicæ temporibus Romanorum mos fuit, tenuioribus civibus in egeſtate conſtitutis frumentum publicum dare; mox pecunia alimentaria conſtituta eſt *in alimenta puerorum ingenuorum, ingenuarumque*, ejuſque originem Cl. Reineſius Cl. VI. 24. a Divo Nerva repetiit, qui *primus inſtituit ut puellæ puerique egeſtoſis parentibus nati publico ſumptu alerentur.* Quam D. Nervæ liberalitatem a Trajano primum, mox ab Hadriano, deinde a M. Antonino inſtitutis in honorem conjugis Fauſtinæ puellis Fauſtinianis, quas in nummis videmus, amplificatam, idem doctiſſimus Vir loco citato obſervavit, & Cl. Gorius in annot. ad noſtram Inſcriptionem Cl. V. 17. Donian. Syntagm. editam, quam nota ſeq. ad eam Inſcriptionem dabimus. His addendus erat Severus Alexander, qui *puellas & pueros, quemadmodum Antoninus Fauſtinianas inſtituerat, Mammæanas, & Mammæanos inſtituit*: ut Lampr. c. 57. teſtatur. Porro hæ Imperatorum largitates privatorum animos acrius incitarunt, ut ſuis quoque opibus conlatis, ampliorem efficerent cenſum ad alen-

Digitized by Google

alendos pueros, puellaſque. Horum legatorum mentio in l. *ſi quid relictum* 117. & in l. *Civitatibus* 122. § 1. ff. de legat. I. Plinii Junioris liberalitatem memorat vetus Inſcrip. p. MXXVIII. 5. & ipſemet commendat lib. VII. ep. 10. Hinc factum eſt, ut per totam ferme Italiam alimenta ſumptu publico pueris, puelliſque egenis præbita ſint. Hinc arcæ pecuniæ alimentariæ conſtitutæ ſunt, cuique arcæ Vilicus, Actor, Quæſtor, Procurator, Præfectus datus, de quibus vid. Reineſ. loco citato, & Cl. I. 125. & Gor. loco item citato. His expoſitis reſtat nunc, ut quomodo Præfectus alimentorum Clodiæ & coherentium intelligendus ſit, explicemus. Sciendum in primis eſt *Cohærentium* nomine ſignificari vias Anniam, Caſſiam, Ciminiam, tres Trajanas, & Amerinam; ita in repetitâ Gruteri Editione ad hunc Inſcriptionis noſtræ locum notatur; Fuit igitur C. Luxilius Præfectus pecuniæ alimentariæ, quæ iis diſtribuenda erat, qui viâ Clodiâ, Anniâ, Caſſiâ, Ciminiâ, tribus Trajanis, & Amerinâ habitarent; non ſolum enim pecuniæ alimentariæ arca cuique urbi aſſignata erat ad pauperes ejuſdem cives alendos, cujus Præfecti, & Quæſtores identidem occurrunt, abſolute QVAEST. vel PRAEF. ALIMENT. dicti, quod nempe Præfecti eſſent pecuniæ alimentariæ in ea urbe, in quâ monumentis poſitis honorabantur: aliaque item regioni cuilibet, eique Præfectus datus, ut in ea regione vicatim, & extra urbes habitantibus, iiſque etiam, qui civitates illas incolebant, quæ alimentaria pecuniâ carerent, diſtribuenda ex arcâ comuni regionis alimenta curaret, hinc pag. CCCCII. 4. *L. Didius Marinus* PROC. ALIMENTORVM PER TRANSPADVM ISTRIAM ET LIBVRIAM; verum etiam cuique viæ. Id, etſi à nemine hactenus obſervatum, manifeſte tamen evincitur, non modo ex Capitolino, qui in *Pertin.* ſcribit Pertinacem *alimentis dividendis in viâ Æmilia* procuraſſe, ſed & ex ineluctabili vetuſtorum lapidum teſtimonio. Pag. MXCVII. 7. occurrit *P. Mummius Siſenna Rutilianus* PROC. ALIMENT. PER AEMILIAM. pag. CCCCLXXXV. 6. *M. Veſerius* PROC. ALIM. VIAE FLAMiniæ dicitur. Accedat aliâ antiquâ Inſcriptio A. D. 1731. Romæ Villâ Caſaliâ effoſſa, quam communicavit mecum Vir doctiſſimus Pompejus Compagnonius.

BAL-

Digitized by Google

BALBINO MAXIMO COS . ORD
PR . K . IVI . Q . K . LEG . PROV . ASIAE
CVR . R . P . LAVR . LAVINAT . ITEM
COGNOSCENTI AD SACRAS APP
CVR . AQVAR . ET MINICIAE PRAEF
ALIMENTOR . VIAE FLAMINIAE
XV SAC . FAC . III VIRO KA
SEVIRO EQVITVM ROMANOR
IVN . SEPTIM . VERVS HERMOGENES
SEXAGENARIA PROCVRATIONE
SVFFRAGIO EIVS ORNATVS

Id autem optima ratione; omnia enim circa Romam plena habitantibus erant, omneſque ferme viæ ſuburbiis inſignes ut Dionyſius lib. IV. Ant. R. docet. *Sed omnia ſunt circa Urbem habitata loca, multa, & magna, aperta, neque muris cincta, & ſiquidem hac unus aliquis videns, voluerit magnitudinem Romæ inquirere, cogetur falli, neque certum habebit ſignum, quo dignoſcat, quonſque proceſſerit, & unde Urbs incipiat, ac deſinat: ita annexta ſunt Urbi ſuburbana domorum ſpatia, & in infinitum producta Urbis opinionem ſpectantibus præbent;* & Ariſtides Rhetor, qui eam in Urbis encomio comparat cum Homerica nive, *quæ excelſorum montium juga operit, & agros item, ac pinguia virorum culta: deſcendit etiam, ac porrigitur ad mare ipſum; in quacumque autem ejus parte quis ſteterit, nullum eſt impedimentum, quo minus pariter in medio ſit.* Et vero Ocriculos uſque, oppidum, quod Tiberi imminet, &, ut ſupra oſtendimus, M. P. XLV ab urbe diſtat, perveniſſe ſuburbia Urbis locuples eſt teſtis Claudianus, in Panegyr. de VI. Conſul. Honorii.

*Inde ſalutato libatis Tibride lymphis*
*Excipiunt arcus, operoſuque ſemita vaſtis*
*Molibus, & quidquid tanta præmittitur urbi.*

Æquum igitur erat illos, qui in ſuburbiis ſecundum vias habitabant, & in Urbana Plebe non cenſebantur, alimenta publica percipere. Quamobrem iis etiam, ſive munificentiâ Principis, ſive privatorum liberalitate, pecuniâ alimentariâ ſeparatim conſtitutâ abunde proſpectum fuit; arcæ vero ejuſdem pecuniæ pro numero viarum deſtinatæ. Hinc profecto intelligimus,

mus, cur viæ illæ cohærentes Clodiæ dicantur (ſi modo eæ omnes intelligendæ ſunt, nam de tribus Trajanis vehementer dubito, quum illæ Appiæ viæ fuerint conterminæ) quod nempe ex eadem arcâ alimenta perciperent illarum incolæ, ex quâ Clodiæ viæ habitantibus præbebantur, unicâ dumtaxat pecuniæ alimentariæ arcâ Clodiæ viæ, & cohærentibus aſſignatâ.

LEG. PROV. ACHAIAE PRÆT. Legato Provinciæ Achajæ Prætoriæ. Appian. lib. I. Civilium: *Legatos Romani appellant, quos Provinciarum Rectoribus addunt, ut iis ſubſidio ſint.* De Legatis, eorumque dignitate, & munere vid. Sigon. de Ant. Jur. Provinc. lib. II. cap. 2. Achaja a L. Mummio bello Corinthiaco feliciter profligato, in Provinciæ formam redacta eſt. De eâ item fuſe Sigonius citati operis lib. I. cap. 9. Prætoria dicitur, quod a Prætore tum regeretur, quando C. Luxilius Legatus erat; Provinciæ enim nomen pro ratione temporis mutabant, & Conſulares dicebantur, quum a Conſularibus, Prætoriæ, quum a Prætoribus adminiſtrarentur, ut oſtendit idem Sigonius de Antiquo Jure Provinc. lib. II. cap. 1.

AEDILI CERIALI. Rectam hanc eſſe hujus vocis orthographiam docuit Manutius in V. *Cerialis* adductâ hac Inſcriptione, & nummo argenteo L. Memmii. Ædiles Ceriales a C. Cæſare inſtituti fuerunt, ut frumento præeſſent, teſte Dione lib. XLIII; iiſque cura ponderum, & menſurarum demandata, ne qua fraus in ipſis fieret.

QVAEST. Scaliger in Indice Grut. C. Luxilium facit quæſtorem Proprætoris. Aliter exiſtimo, & QVAEST. Quæſtorem ſeparatim a ſequentibus legendum puto: quum enim, ut tradit Aſconius in Ciceron. Divinat. in Verrem, *prima Senatoris adminiſtratio* ſit, *quæſtorem fieri, & in provinciâ curam gerere pecuniæ publicæ in diverſos uſus erogandæ*, veroſimile non eſt C. Luxilium poſt tot ſummos honores domi foriſque geſtos, Quæſturâ functum in Provinciâ, ſed potius, quum Quæſtor fuiſſet, Proprætore Provinciam Cretam adminiſtraſſe.

PR. PR. PROV. CRETAE CYR. Proprætori Provinciæ Cretæ Cyrenaicæ. *Creta per Metellum Proconſulem, qui poſtea Creticus dictus eſt, provincia facta eſt:* ait Sex. Rufus in Breviario. Ut hunc Inſcriptionis verſiculum mirifice illuſtremus, nihil faciendum eſt aliud, niſi quæ Emus Noriſius diſſ. II. cap. 11. Cenot. Piſan. differit, integre deſcribenda. Ait itaque ille: *Lybiam provinciam Africæ, quæ & Cyrenaica ab Urbe Metropoli Cyrene dicta eſt, teſtamento Regis Ptolemæi Apionis Roma-*

*Romani obtinuerunt Olym.* CLXXVI. *U. C.* DCLXXVIII. *ex Appian. Civil. I. quam una cum Cretâ Auguſtus Populo conceſſit. Strabo lib. XVII.* Nunc, *inquit*, Provincia eſt Cyrenaica cum Creta conjuncta. *Svetonius Cap.* 2. *de Veſpaſiano ſcribit:* Quæſtor Cretam, & Cyrenes provinciam forte cœpit. *Imperante Auguſto erat Provincia, ac Proconſules in eamdem anni mittebantur. Tacitus lib. XV. ſcribit Claudium Timarchum Cretenſem accuſatum*, quod dictitaſſet in ſua poteſtate ſitum, an Proconſulibus, qui Cretam obtinuiſſent, grates agerentur. *Idem lib. III. Annal. nominat Caſium Cordum Proconſulem Cretæ, uti ſuperius notavi. In vetuſtis Inſcriptionibus pag.* CCCCXV. 5. *Q. Garcilius Macer, & MXCI.* 6. *Q. Cæcilius Rufinus dicuntur* Proconſules Cretæ & Cyrenarum. *At pag.* CCCCXXXIII. 1. *Q. Luxilius Egnatius inſcribitur PR. PR. PROV. CRETÆ. CYR. Proprætor Provinciæ Cretæ Cyrenarum. Non ſemel enim provinciæ Populi ab Auguſtis per Proprætores adminiſtratæ ſunt, ſive bello in provinciis exorto, ſive Senatus, ac Populi poteſtate in ordinem redactâ, quod ſequiori Cæſarum Imperio contigit.*

TRIB. LATICL. LEG. IIII FLAV. *Tribuno Laticlavio Legionis IIII Flaviæ.* C. Luxilium ſenatorii ordinis fuiſſe vel ex hoc intelligi poteſt, quod Legionis IIII Tribunus Laticlavius fuerit, quum ii dumtaxat Tribuni laticlavii dicerentur, quibus laticlavi (ſenatoriæ dignitatis is erat inſigne) gerendi jus erat. De hoc Tribunorum ordine Statius Silv. 1. lib. V.

*Quem deceat clari præſtantior ordo Tribuni.*

Vid. Lipſ. de Milit. Rom. lib. II. cap. 9. & Pancirol. Notit. Dign. Imp. Orient. cap. 37. & Gor. in Annot. ad Inſcr. 8. Cl. V. Donian. Collect. Legionem quartam Flavio cognomine honoratam exhibent & alia marmora, quæ longum eſſet recenſere.

PATRONO COLONIARVM PISAVR. ET FANEST. Additur demum C. Luxilium Patronum fuiſſe Coloniarum Piſaurenſis & Faneſtris. Id profecto in cauſsâ fuit, ut Piſaurenſes C. Luxilium ſtatua inauratâ donaverint. Quemadmodum quæcumque Civitas plures habuit Patronos, ut ex Cæſare conſtat qui lib. I. Civil. c. 35. ſe, & Cn. Pompejum a Maſſilienſibus Patronos deſignatos ſcribit, adeout Cicero in Piſon. & pro Sextio, ſe *unum* a Capuanis Patronum aſcitum vehementer glorietur, ita plures Civitates eumdem ſibi Patronum adoptabant, quod & ex hac Inſcriptione diſcimus & aliâ n. XLIV. In Gruteri item opere pag. MXCVIII. 1. L. *Nonius Verus* oc-

occurrit PATRONVS . MVTINENSIVM . AQVILEGIEN . BRIXIANORVM . ET . VNIVERSARVM . VRBIVM . APVLIAE . CALABRIAEQ. Herophilus medicus, quum ſe C. Marii nepotem jactaſſet, tantam ſibi eo nomine authoritatem conciliavit, *ut Coloniæ Veteranorum complures, & municipia ſplendida, collegiaque fere omnia patronum adoptarent.* Valer. Max. lib. IX. c. 16.

XXXVII.

EXſtabat olim hæc Inſcriptio in Ædibus Pardiorum, ſed eodem fortaſſe fato periit, quo aliud marmor L. & T. Acciorum effigie conſpicuum intercidiſſe diximus not. XXIX. Ex iiſdem Ædibus in Collectione Donianâ Cl. V. 19. exhibetur ſepulcralis Inſcriptio, quæ M. Attium Repentem Magiſtrum Vici memorat, quam n. CXXXII. dabimus. Fortaſſe idem Q. Martius Attius priori nomine ommiſſo in eâ laudatur. Quod ſi ita eſt, alterum ejuſdem nomen reſtituendum in hâc videtur, ATTIO. Attiam gentem Piſaurenſem, præter Acciam, alia vetus Inſcriptio memorat, n. CIX.

XXXVIII.

PRimus hanc Inſcriptionem vulgavit Gabriel Simeonius, mox Gruterus pag. CCCCXL. 6. demum Gorius Syntag. Donian. Cl. V. 17. Annotationem, quâ eam V. C. illuſtravit, hic de more deſcribo.

*Paullo aliter legitur hac Inſcriptio in Gruteriano Theſauro 6. CCCCXL. Q. ALIMENTOR. ut arbitror,* Quæſtori alimentorum, *qui pecuniam alimentis deſtinatam pro pueris, puellisque ingenuis, natis parentibus egeſtoſis tractabat. Nam his alimenta ſumptu publico per Italiæ oppida præſtari Nerva Imperator conſtituit, quod Dio, & Aurelius Victor in Nerv. teſtantur, quem poſtea Hadrianus, & Alexander Severus, & Antoninus Pius imitati ſunt, ex Spartiano, & Capitolino. Huic officio non ſolum dati* Procuratores, *verum etiam* Præfecti, *ut in Gruterianis p. CCCCXXXIII. 1. MXCVII. 7. &* Procuratores alimentorum *in 4. CCCCII. item miniſtri, nempe* Vilici ab alimentis *in 9. MXXXIII. Pecuniam datam a C. Plinio Juniore in alimenta puerorum, & puellarum plebis Urbanæ teſtatur vetus Inſcriptio Mediolanenſis apud Grut. p. MXXVIII. 5. quam idem Plinius memorat in Epiſtolis. Paullus clariſſimus legum interpres, ſenioribus item præbita alimenta*

Q tra-

*tradit.* *De pueris, puelliſque alimentariis non pauca in medium protulit V. C. Philippus Rubenius Electorum lib. II. c. 36.* *CVRATOR KALENDARII is erat, qui in publicis tabulis ſcribebat nomina eorum, qui fœnebrem pecuniam a Civitatibus accipiebant, qua Kalendarium, vel Calendarium dicebantur, quod debitores vertentibus menſtruis Kalendis fœnus ſolverent. Vid. Noriſ. in Cen. Piſan. Diſſ. I. c. 3. Vid. etiam Par. II. Inſcr. Ant. Etrur. Urbium pag. 23. n. 16.* Huc uſque Vir doctus.

C. MVTRIO. Ita Collectiones MSS. & prima Gruteri editio. Donius C. MVTTEIO. Gudius, qui ſe marmor vidiſſe teſtatur, M. MVCERIO. Lapis, qui litem dirimeret, aut periit, aut latet; quare MSS. Collectionum lectionem cæteris prætuli, dedique C. MVTRIO.

CVRATORI KALENDAR PECVNIAE VALENTINI ĦS DC. Duplex huic Inſcriptioni ſubeſſe mendum putavit Gruterus, alterum hic, alterum verſ. 9. utrumque ſubjectis punctis notavit. Primum emendare ſtuduit Gudius, & *ex lapide* ALIMENI loco VALENTINI reſtituit. V. repetit. Grut. Edit. Dolendum ſane latere nos marmor; Verum, pace tanti Viri dixerim, vereor ut emendationem ſuam lapidis authoritate probare potuiſſet, quem fortaſſe, ut dicam quod ſentio, nuſquam inſpexit. Equidem admiſſa Gudii emendatione ALIMENI, haud facile explicabitur, quænam fuerit cura iſta Kalendarii pecuniæ alimentariæ, a Quæſtura alimentaria, qua functum C. Mutrium, linea præcedenti Inſcriptio prodit, diverſa? retenta vero lectione VALENTINI, plana res eſt, ut oſtendam. Excuſatione tamen dignus eſt Vir clariſſimus, ſi, quid ſibi vellet Inſcriptio, penitus non intellexerit; Quædam civibus ſervantur, quæ exteros, licet doctiſſimos fugiunt. Sed ad rem. C. Titius Valentinus teſtamento reliquit Colonis Coloniæ Juliæ Felicis Piſaurenſis decies centena millia nummum, ita ut per ſingulos annos ex ſeſtertiorum CCCC. uſuris populo epulum die natali Titii Maximi filii ejus divideretur, & ex ſeſtertiorum DC. uſuris quinto quoque anno munus gladiatorium ederetur. Ita vetus Inſcriptio n. XLIII. Aucta igitur Colonia Piſaurenſis hoc inſigni legato, relictæ pecuniæ adminiſtrationem diviſit, ejuſque curam, ut idoneis nominibus collocaretur, duobus civibus demandavit; itaque creati Curatores, alter Kalendarii ĦS CCCC ad epulum ſingulis annis dividendum, alter ĦS DC ad munus gladiatorium quinto quoque anno edendum, cujus poſtremi officii memoria in Inſcriptione,

ne, quam illuſtramus, adhuc durat. Additur PECVNIAE VALENTINI Noſtri, vel potius Nummum HS DC, ut deſignaretur pecunia a Titio Valentino relicta, quum plures alios Curatores Kalendariorum in Colonia Piſaurenſi fuiſſe veroſimile ſit, pluresque alias pecuniarum ſummas in certum opus relictas, quarum adminiſtratio ſeparatim concederetur. De Curatoribus Kalendarii vid. Pancirol. de Magiſtr. Municip. Cap. XIV. & Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſ. I. cap. 3.

PATRONO VI VIR AVG. *Patrono Sevirum Auguſtalium.* Seviri Auguſtales totum ordinem Auguſtalium repræſentabant. Hinc qui Patronus erat univerſi ordinis Auguſtalium, Patronus Sevirum Auguſtalium dicitur. Aliæ quoque Inſcriptiones idem teſtantur. In Inſcr. Dom. Cl. Fabretti cap. II. n. 251. habetur Inſcriptio *M. Silio Epaphrodito* PATRONO SEVIRVM AVGuſtalium poſita; in Gudio pag. CXIX. 1. occurrit *C. Calvinius* PATRONVS VI VIR. AVG. In Syntagm. Doniano Cl. V. 123. *Rutiliæ Paullinæ* SEVIRi AVGVSTales PATRONAE OB MERITA PATRIS ET IPSIVS poſuerunt Inſcriptionem.

COLLEG. FABR. &c. Vid. not. XLIV.

EX DIVI NERVAE EPVLAR.... Alterum huic verſiculo incubare mendum, ſubjectis punctis, ut dicebamus, oſtendit Gruterus. Reineſius Cl. VI. 24. poſtquam alimentariæ pecuniæ inſtitutionem Divo Nervæ retuliſſet, ait: *Puellas illas Divi Nervæ cum Q. Alimentor, & pecuniæ alimentariæ memoraverat lapis Piſaur. 6. CCCCXL. Sed deſcriptores corruperunt in epulas, & fecerunt, ut nihil fere ibi intelligamus.* Quamobrem, quoniam homo ingenioſiſſimus Reineſius non eſt auſus locum corruptiſſimum emendare, vitio mihi non detur, ſi lapidis præſidio deſtitutus hanc laudem ipſe quoque felicioribus ingeniis relinquo.

## XXXIX.

MAnutius in Orthographia in V. *Nævius*, & Gruter. pag. CCCCXL. 7. Inſcriptionem hanc ediderunt. Idem hic M. Nævius Jovi Optimo Maximo Inſcriptionem poſuit, quæ Collectioni noſtræ præfigitur. V. Not. I.

## XL.

BEneficio repetitæ Gruteri Editionis integram exhibeo pulcherrimam Inſcriptionem, quam mancam & mutilatam in MSS. Collectionibus inveneram; puncta enim pro literis fugien-



Digitized by Google

tibus, & detritis in iis appoſita ſunt. Olim erat ad D. Auguſtini: fruſtra ibi quæſita eſt. Proh rerum vices!

M. NAEVIO M. F. PAL. MAGNO. Frater fuit Magnus iſte Nævii Juſti Ædilis Curulis, quem memorat ſuperior Inſcriptio & prima: uterque vero Nævii Ceraſi filius. Gentem Næviam inter principes Piſauri habitam fuiſſe Inſcriptiones in illorum honorem poſitæ luculenter evincunt, quæ quidem magno in pretio habendæ ſunt; harum enim altera Piſauro Ædilitatem Curulem aſſerit, Auguratum altera.

OB MERITA NAEVI CERASI. Magna equidem & ſingularia beneficia a M. Ceraſo in Collegium Fabrum conlata fuerunt, quum ejus cauſsâ filios quoque Iuſtum, & Magnum ab eodem collegio ſtatuâ donatos videamus.

IN QVORVM HONORE. Scilicet Fabrorum, ita ut ſenſus ſit, Nævium Ceraſum, quo tempore Magnus filius ejus a Collegio Fabrum ſtatuâ honoratus fuit, ſeu ob honorem ſtatuæ Nævio Magno a Collegio Fabrum exhibitum, arcæ intuliſſe HS X̄ N̄, & in tutelam (quæ alias dicitur & *tuitio* p. CCCLXVIII. 1. & p. CCCCXXIV. 12.) ſtatuæ ſeſtertios mille dediſſe.

CVIVS DEDICATIONE. Statuæ ſcilicet Magno filio poſitæ.

HS X̄ N̄. Ita Codex Rhedii, ex quo integra in poſtrema Gruteri Editione exhibetur Inſcriptio. Collectiones meæ habent HS X̄X̄.

SPORTVLAS. SPORTAS habent Collectiones MSS. Erat autem ſportula, ſeu ſporta corbis ex vimine cibos ad cœnam includens. Veteres in dedicationibus ſtatuarum, bigarum, &c. quandoque pecuniam numeratam dabant, qua pro arbitrio invitati uterentur, quandoque epulum, quo publice veſcerentur, quandoque ſportulas, quas domum aſportarent toti familiæ profuturas. Haud ignoro ſportularum nomine pecuniam plerumque intelligi, in libris præſertim J. C. Verum quum in antiquis Inſcriptionibus, quotieſcumque pecunia diſtribuebatur, aperte ejuſdem ſpecies, & numerus memoretur, nihil video cur ſportularum nomine cibi ipſi intelligendi non ſint. Et vero ſi quando ſportularum nomine pecuniam in iiſdem appellarunt, addiderunt ſtatim nummorum numerum, ne qua dubitatio oriri poſſet, num cibi, aut nummi diviſi fuerint. Hinc in noſtra inſcriptione XLIV. *C. Valius Polycarpus* SPORTVLAS DECVR ⋇ V. ITEMQ. COLLEGIIS ⋇ II. PLEBEI ⋇ I. DEDIT; quod & in plurimis Gruterianis Inſcriptionibus animad-



Digitized by Google

animadverti, nempe pag. XXXV. 12. pag. CCCXXX. 2. quæ integrior repetitur p. MLXXXIX. 6. p. CCCCXVII. 6. CCCCLXXXIII. 7. MCI. 5., quæ lineis aliter diſpoſitis iterum recuſa eſt in Doniano Synt. Cl. VI. 20. & pag. demum MLXXXIII. 10. Quinam autem cibi illi fuerint, qui ſportulis diſtribuebantur, difficile eſt ſtatuere. C. Aufidius Verus præter nummos Piſaurenſibus panem & vinum dedit n. XXXIV., ut alius ille in Grut. p. CCCXLVII. 1. Panem & vinum in epulo non contineri ſvadet vetus Inſcriptio in Grut p. CCCCL. 7. ET ADIECTO PANE ET VINO EPVLANTIBVS. Fortaſſe panis & vinum ſportulis diſtribuebatur, vel potius (*) cruſtulum, & mulſum; (**) utrumque ſæpe datum teſtantur vetuſti lapides pag. C. 5. CLXXIII. 4. CCXXVIII. 8. CCCLXXIII. 8. CCCCXLVIII. 4. CCCCLXI; neque tamen in epulo comprehenſum docet Spoletina Inſcriptio pag. DLXXI. 1. quâ Spoletinis municipibus EPVLVM ET CRVSTVLVM ET MVLSVM legantur.

## X L I.

INter Piſaurenſes Inſcriptiones ab omnibus ferme hæc quoque recitatur. Errori anſam dedit Simeonius, qui primus illam vulgavit, & Piſauri eſſe ſcripſit. Idem ex eo peccarunt Smetius, & Gruterus. In repetita tamen hujus editione, ex MSS. Pighii Arimini exſtare marmor notatur. Diſerte teſtatus id fuerat Eques Clementinus (***) *Raccolt. Iſtor. par.* I. pag. 37. Ad Ariminenſes igitur pulcherrima Inſcriptio pertinet, quam idcirco Collectioni noſtræ inſeruimus, ut præclaram Urbem in præclari monumenti poſſeſſionem publice reſtitueremus.

## X L I I.

MOnumentum hoc a Plebe Urbanâ Tadiæ C. F., quod ab ea ſingulari aliquo beneficio ornata fuerit, poſitum Cl. Fabretto unice debemus, qui vulgavit Inſcr. Dom. Cap. VI. 50. iterumque Cap. X. 593. carent enim illo MSS. Collectio-

(*) *Cruſtulum placentæ genus erat, ut Acron ad Horatium interpretatur, ex farina, melle, & lacte paratum. V. Gor. par. I. Inſcr. Etr. Urb. p.* 324. *Inde* cruſtularii *illarum artifices Senec. epiſt. LVI. & Arnobio, ſi vera Turnebi emendatio adverſar. lib. XIII. Cap. XIV.*

(**) *Mulſum potio ex melle & vino confecta, ut cuivis notum.*

(***) *Clementini exemplar pluribus ſcatet erroribus: lin* 3. *poſt.* IIVIRO *addit* IIIVIRO, *quod licet a MSS. Pighii probetur, vix ferendum videri poterit; lin.* 7. *ommittit verbum* HONORE: *lin.* 8. *adverbium* INDVSTRIE *in nomen convertit* INDVSTRIAE.

lectiones, & lapis, ſi modo ſupereſt, ubi ſit, ignoratur.
CLAVENNIAE. Ita primum Fabrettus: iterum, CLAVENIAE.

## XLIII.

PRæclara hæc Inſcriptio in baſi ſtatuæ viſitur, A. D. 1440. dum Monaſterium, *Corporis Domini* dictum conſtrueretur, effoſsâ. Integram primus exhibuit Fabrettus Inſc. Dom. cap. II. n. 252. Non omnium tamen antea eruditorum oculos fugerat, ut patet ex Cluver. Ital. Ant. lib. II. cap. 6. Ortel. Theſ. Geogr. V. *Piſaurum* Cimarell. Iſtor. Gall. Senon. pag. 92. Illud initio animadvertendum, optimas eſſe literas & pulcherrimas, & quæ priorum Cæſarum ævum redoleant.

AEDIL. Q. II.VIR. Magiſtratus, quos C. Valentinus in Colonia Julia Felici Piſaurenſi geſſit, Ædilitas nempe, Quæſtura, & Duumviratus.

QVI TESTAMENTO. En ratio ob quam C. Valentino ſtatua, quæ ſupra baſim hanc ſtetit, poſita fuit, quia ſcilicet decies Coloniæ legavit. Veteres in publicis hiſce monumentis non modo teſtamenta enunciarunt, eorumque conditiones, verum etiam integra teſtamenta quandoque exſcripſerunt.

COLONIS COLONIAE IVL. FELIC. PISAVR. Piſaurum Colonia primum deducta fuit P. Claudio L. Porcio Coſſ. A. U. DLXX. Livius lib. XXXIX. c. 44. *Eodem anno Coloniæ duæ Pollentia in Picenum, Piſaurum in Gallicum agrum deductæ ſunt: ſena jugera in ſingulos data: diviſerunt agrum, coloniaſque deduxerunt iidem IIIViri Q. Fabius Labeo & M. & Q. Fulvii Flaccus & Nobilior.* Vellejus Paterculus lib. I. *& quadriennium poſt Bononiam Piſaurum, & Potentia deductæ ſunt;* ſed nullo cognomine, ut ex citatis Scriptoribus conſtat. Proinde ex ſplendidiſſimis titulis *Juliæ Felicis*, qui in hâc Inſcriptione oſtentantur, alia, & quidem permagni momenti, innoteſcunt, quantum per hæc involucra perſpicere licet: nempe poſt primam illam deductionem, quam modo ex Livio & Paterculo memoravimus, Piſaurum iterum Coloniam bis deductam fuiſſe a Sulla primum, deinde a C. Cæſare, & propterea *Juliam Felicem* appellatam. Sed antequam progrediamur, gratiæ agendæ ſunt immortales Viro doctiſſimo Alexio Symmacho Mazochio, qui in elucidandis Coloniæ Juliæ Felicis Capuæ nominibus, noſtra quoque illuſtravit. Scribit is in aureo Commentario *in Mutilum Campani Amphiteatri titulum* cap. I. §. 3. ita: *Tres*

*præ-*

*prœterea nec amplius* FELICES *imo* IVLIAS FELICES *inveni. Una eſt apud Grut. p.* 1093. 8. *ubi legitur quidam ÆDILIS COLONIA IVLIA FELICI CLASSICA SVESSA. Altera apud Fabrett. pag.* 106. *n.* 251. *ubi eſt COL. IVL. FELICI LVCO-FEROnenſi: Tertia ibidem n.* 252. *ubi legitur COLONIAE IVL. FELIC. PISAVR. Quas etiam conjicio a Sylla Felice primum, tum ab Julio fuiſſe deductas, atque idcirco* IVLIAS FELICES *audiviſſe. Scio Dionem lib. LIX. queri ſua œtate Colonias ſuo ſibi arbitrio nominum catalogos contexere, quum antea nonniſi ex authoritate Senatus id liceret. Sed de ſua id œtate expoſtulat. Quid his commune cum Nolâ, atque Capuâ, quas certo ſcimus ab Sulla olim deductas? atque idcirco* Felices *tum has potiſſimum duas, tum quatuor alias Beneventum, Sueſſam, Lucum Feroniœ, ac Piſaurum appellatas non abſurde conjectavimus. Nam & hoc quoque Sullœ felicitati poſſumus adſcribere, quod hœ per illum inſtitutœ Coloniœ in eo ſibi nomine tanto opere placerent.* Huc uſque Vir clariſſimus, cujus ita mihi arridet de Sullana deductione opinio, ut ab eâ ne latum quidem unguem diſcedere mihi fas eſſe cenſeam. Et licet in tanta antiquitate nullum poſſim ex vetuſtis Scriptoribus laudatæ ſententiæ teſtem afferre, non deſunt tamen argumenta, quibus ita rem habuiſſe manifeſtum fiat. Ac primo quidem, quum conſtet ex Appiano lib. I. Civil. L. Sullam, quum partam ſibi armis poteſtatem, armis pariter ſervandam duceret, milites, quorum operâ ad tantam potentiam pervenerat, colonos varias in urbes deduxiſſe, ut *opportunis locis diſpoſiti in ipſius poteſtate continerent Italiam*, veroſimile maxime eſt inter eas Piſaurum quoque fuiſſe; nullum ſiquidem opportuniorem locum, ſive ad belli adminiſtrationem, ſive ad annonæ comportationem, & Urbis ipſius ſitus ſvadet, & Veteres ipſi docuerunt. Quum enim Catilina adjungere ſibi Italiam bello ſtatuiſſet, M. Aulianum Piſaurum miſit, ut Cicero in Oratione pro Sextio teſtatur, qui cives ad ſuppetias illi ferendas adhortaretur. Cæſar ipſe, quum Urbe Româ domicilio Imperii & gloriæ potiri armis moliretur, nihil ſibi prius faciendum duxit, quam ut Ariminum, Piſaurum, Fanum, Anconam occuparet, ut ipſe lib. I. Civil. ſcribit; Quod quum feciſſet Cæſar, veluti deſperatis rebus ſapientiſſimi Viri Romam reliquerunt. Cicer. Fam. lib. XVI. Ep. 11. *Itaque quum Cœſar amentiâ quadam raperetur, & oblitus nominis atque honorum ſuorum Ariminum, Piſaurum, Anconam, Arretium occupaſſet, Urbem reliquimus, quam ſapienter, aut quam*

for-

*fortiter, nihil attinet diſputare.* Id quum Vvittiges quoque poſterioribus temporibus conſideraſſet, nec milites, quos Piſauri in præſidiis collocaret, haberet, in ipſis belli principiis, concrematis domibus, muros ad mediam partem delevit, *ne*, inquit Procopius lib. III. cap. 11. de bell. Goth. *Romani his occupatis* (Piſauro nempe & Fano) *negotium Gothis exhiberent*. Beliſarius vero, ut Totilæ progreſſiones moraretur, Piſauri mænia inſtaurare, præſidiiſque munire conſtituit. *Ergo*, ut idem Procopius proſequitur, *noctu nonnullis ex eorum numero, quibus familiarius utebatur, proficiſci juſſis, menſuram latitudinis, ac longitudinis cujuſque portæ clam ab ipſis initam probe tenuit, & fores fabricatus munitas ferro ſcaphis miſit, cum his ad Sabinianum, & Thorimuntum mandatis, ut illis muro aptatis propere foribus tenerent ſe oppido, atque in tuto poſiti murorum ruinas omnes quomodocumque poſſent, reſtaurarent, injectis lapidibus, luto, & ſi quid eſſet aliud. Hæc illi accurarunt. Quibus intellectis Totilas cum multis copiis eo contendit, factoque periculo, ac multo ibi conſumpto tempore, quum expugnare non poſſet, re infectâ ad caſtra pro Auximo locata redit.*

Alterum argumentum ex eo deducitur, quod inter eos, qui Catilinæ partes fovebant, colonos a L. Sulla deductos enumeret Cicero in II. Catilinar. *Tertium genus eſt ætate jam effœtum, ſed tamen exercitatione robuſtum, quo ex genere iſte eſt Manlius, cui nunc Catilina ſucceſſit. Hi ſunt homines ex iis coloniis, quas Sulla conſtituit, quas ego univerſas civium eſſe optimorum, & fortiſſimorum virorum ſentio; ſed tamen hi ſunt Coloni, qui ſe inſperatis repentiniſque pecuniis ſumptuoſius inſolentiuſque jactarunt. Hi dum ædificant tamquam beati, dum prædiis lectis, familiis magnis, conviviis apparatis delectantur, in tantum æs alienum inciderunt, ut ſi ſalvi eſſe velint Sulla ſit iis ab inferis exsitandus*: & ſæpe Salluſtius in lib. de Bello Catilin. At vero tam idem Cicero Gallici agri homines inter Catilinæ ſatellites memorat in ead. Or. *Video cui Apulia tota ſit attributa, qui habeat Etruriam, qui agrum Picenum, qui Gallicum*; quam ipſe Salluſtius l. l. *Iiſdem fere temporibus in Gallia citeriore, atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia motus erat: nempe illi, quos ante Catilina dimiſerat, inconſulte, ac veluti per dementiam cuncta ſimul agere, nocturnis conſiliis, armorum atque telorum comportationibus, feſtinando, agitando omnia, plus timoris, quam periculi effecerant.* Quare in Gallicum agrum Q. Metellum a ſe miſſum



Digitized by Google

ſum, ut motus, qui inde timebantur, compeſceret, ſub finem ejuſdem orationis Cicero teſtatur. *Q. Metellus, quem ego proſpiciens hoc, in agrum Gallicanum, Picenumque præmiſi, aut opprimet hominem, aut omnes ejus motus, conatuſque prohibebit.* Imo Piſaurenſes ipſos Catilinæ partium fuiſſe haud obſcure in orat. pro Sextio innuit, ad quos ſollicitandos, ſeu confirmandos M. Aulianum a conjuratis miſſum fuiſſe ſcribit. *Idem* (P. Sextius) *quum illa conjuratio ex latebris, atque ex tenebris erupiſſet, palamque armata volitaret, venit cum exercitu Capuam, quam urbem propter plurimas belli opportunitates ab illâ impiâ, & ſceleratâ manu attentari ſuſpicabamur, & inde M. Aulianum Tribunum Militum Antonii Capuâ præcipitem ejecit, hominem perditum, & non obſcure Piſauri, & in aliis agri Gallici partibus in illâ conjuratione verſatum.* Cauſſa profecto nulla fuit, cur M. Aulianus Piſauri verſaretur, niſi ſi Piſaurenſes illarum partium fuiſſent: cauſſam item nullam video, cur Piſaurenſes eas partes defenderint, niſi quod Sullani Coloni fuerint, & ad novas res, ut eſt militum genus avidum, atque rapax, quæſtus ac lucri, &, ut ait Cicero ead. Catil. II. *veterum rapinarum* ſpe ducerentur. Ac ſi quis contenderet *Felicis* cognomen, *honorariam, atque addititiam*, ut ait Fabrettus pag. 105. Inſ. Dom., *nuncupationem* fuiſſe, quam Piſaurenſes Coloniæ ſuæ pro arbitrio impoſuerint, quod fieri conſueviſſe, & teſtantur marmora, & lib. LIV. queritur Dio, is profecto ſententiam mutare cogetur, ſi ætatem noſtræ Inſcriptionis conſideraverit, quæ priorum Cæſarum ævo utique inſculpta fuit, ut ſuperius monuimus: Inſcriptiones enim, quas Fabrettus recitat, longe inferioris ætatis ſunt, & Dio, ut ait Mazochius, *de ſuâ id ætate expoſtulat.*

Ex altero IVLIAE cognomine a C. Cæſare iterum deductam Coloniam Piſaurum putavit Mazochius, cujus verba deſcripſimus; de tempore autem deductionis, ne verbum quidem. Ter Cæſarem Colonias deduxiſſe ex hiſtoriis diſcimus. Primum in eo Conſulatu, quem collega Bibulo geſſit. Deinde A. U. 707. ante bellum Africanum, ut ex Dionis lib. XLII. & Sveton. cap. 38. obſervavit Emus Noriſius Cenot. Piſ. Diſ. I. cap. 2. Tertio demum A. U. DCCIX. bellis civilibus confectis. Priores duas agrorum diviſiones civilibus Coloniis factas exiſtimat Emus Scriptor loco citato. De prima non eſt ambigendum: tunc enim lege Juliâ Stellatem, & Campanum agrum diviſit. V. Mazoch. cit. cap. I. §. 2. De ſecundâ



Digitized by Google

cundâ id putavit, quia milites unum in oppidum haud deducti fuerunt, ſed in disjunctos agros, partim publicos, partim a Cæſare antea poſſeſſos ſparſi. Tertiam tamen deductionem militarium Coloniarum fuiſſe aperte conſtat ex oratione, quam occiſo Cæſare ad populum habuit Brutus apud Appian. lib. II. Civil. *In ipſa*, inquit, *Italiâ nihil commeritâ non jure belli, ſed more latrocinii, veteribus poſſeſſoribus ademerunt agros, domos, ſepulchra, fana, quæ ne exteris quidem devictis adimimus, contenti decimis fructuum. At iſti* (Sulla nempe & Cæſar) *diviſerunt vobis agros veſtrorum popularium, auſpiciis ipſius Cæſaris ſociorum expeditionis Gallicæ, qui vos votis pro victoria veſtra nuncupatis, proſequuti ſunt, eoque vos deduxerunt ſub ſignis inſtructos militariter, neque ſatis pacatos, & parum ſecuros.* Has vero Colonias de nomine conditoris Julias appellatas, ex Paterculo, & Joſepho contra Appionem docet laudatus Emus Scriptor, cui, quantum in hâc explicatione debeam, non eſt quod prædicem. In hâc tertiâ agrorum diviſione, militarem Coloniam Piſaurum a C. Cæſare deductam exiſtimo. Enimvero e re Cæſaris erat, Urbem ſitu opportúnam, bene fidâ carinis ſtatione conſpicuam, viribus, opibuſque pollentem, in partes ſuas trahere, ſuiſque militibus frequentare. *Id enim fuit Cæſaris in Coloniis deducendis conſilium* (verbis ipſius Noriſii, qui illud obſervavit, uti juvat) *ut vel in viciniâ fundatæ ſubitario ſibi præſidio eſſent, ſi qua contra ipſum ſeditio Romæ excitaretur, vel in iis locis collocatæ per quæ Romam iter erat, ne Senatus ab iis, qui extra Italiam in Provinciis magiſtratum gerebant, auxiliares ſuppetias pro libertate reſtituenda ſperare poſſet.*

Scio non ſolum publica quædam Auguſti opera *Julia* audiviſſe, verum etiam leges, imo ipſas Colonias, ita ut aliquæ a C. Cæſare deductæ, ne de conditore ambigeretur, *Juliæ Paternæ* appellatæ ſint. Ac ſi quis hoc eo diceret, ut ex Julio cognomine Piſaurum ab Auguſto Coloniam deductam vellet, is certe quantum ego intelligere poſſum, longe conjecturâ aberraret. Ex Coloniis enim ab Auguſto deductis eæ ſolum *Juliæ* dici potuerunt, quæ ſtatim poſt initum Triumviratum, ex lege Triumvirali deductæ fuerunt: non enim deinceps, ſi Campanæ Coloniæ ſupplementum excipias, quod devicto Pompejo, Lepidoque exauctorato adſcripſit, de quo V. Mazoch. Cap. I. § 4. p. 37, alias Colonias per Italiam deduxit Auguſtus, niſi poſt pugnam Actiacam; quas tamen *Auguſtas* dictas fuiſſe, con-

Digitized by Google

conſentiens eſt doctorum Virorum opinio. At in prima illâ Coloniarum deductione, quæ ex lege Triumvirali facta eſt, Piſaurum Coloniam deduxit Antonius, vel alius ejus auſpiciis, ut ex Plutarcho mox apparebit, non Auguſtus. Reliquum eſt igitur, ut Juliæ Piſaurenſis Coloniæ deductio Divo Julio ſine controverſiâ aſſignanda ſit. Id vero Piſaurenſium gloriam mirifice amplificat, non ſolum quia Coloniæ huc deductæ Conditorem, & Parentem aſſerit Virum dignitate, doctrinâ, bellicâ virtute maximum, verum etiam quia vel ex hoc Piſaurenſis Urbis amplitudinem evincit, quum ex funebri oratione, quam Antonius de laudibus Cæſaris ad populum habuit apud Dion. lib. XLIV. conſtet Colonias a Cæſare deductas fuiſſe *majores iis Urbibus*, *quarum illi* (Æneas nempe, ejuſque nepotes, poſterique) *Reges fuerint*.

Sed quoniam Colonias Piſaurum deductas memoravimus, non abs re erit poſtremam hanc ab Antonio adſcriptam ex Plutarcho recenſere; mox vero ipſum Plutarchi locum, qui toties ab iis qui de Piſauro ſcripſerunt, non ſine aliquo doctorum ſtomacho ingeritur, expendere. Ait itaque Plutarchus in Antonio. *Prodigia ante bellum* (Actiacum nempe) *hæc ferunt fuiſſe: Piſaurum urbs non longe ab Hadria, in quâ Antonius Colonos adſcripſerat, terræ hiatibus abſorptum eſt.* Cæſare occiſo Senatuſconſultum opera Antonii factum eſt de Coloniis deducendis. Appian. Civil. lib. II. eas tamen deductas non fuiſſe, ex oratione Octaviani ad Antonium, ejuſque reſponſione apud eumdem Appian. lib. III. conſtat. Initâ demum Triumviratus conjuratione, ſtatim III Viri Colonias, quæ debebantur adhuc, exercitui promiſerunt, & Urbes illi in prædam dividendas nominatim propoſuerunt. Appian. Civil. lib. IV. *Et quo alacrior redderetur exercitus poſt propoſita victoriæ præmia, præter alia donativa, promiſſæ ſunt eis XVIII. Italicarum urbium tam opibus, quam agri bonitate, ac ædificiorum pulchritudine præcellentium, quarum urbana, ac ruſtica prædia non ſecus, quam bello capta dividerentur.* His promiſſionibus devincto milite, ad bellum contra Brutum, & Caſſium Antonius ſimul & Auguſtus profecti fuerunt: quo feliciter profligato *ad perſolvenda præmia*, ut ait Appian. Civil. lib. V. *profectus eſt Imperatorum alter* (Auguſtus) *in Italiam, ut agros militibus divideret, hoc enim elegit propter valetudinem: Antonius vero tranſmarinas provincias petiit collecturus pecunias, quas eis promiſerant:* idem tradit & Dio lib. XLVIII. Ut primum Au-

guſtus e morbo, quo periculoſiſſime Brunduſii affligebatur, recreatus fuit, ſtatim milites in Colonias cæpit deducere, quâ in re Italicorum certe animos acriter offendit, verum, ut ait ibidem Appianus, milites præclare ſibi conciliavit *prompta erga largitorem gratiâ, cui agros, Urbes, pecunias acceptas ferebant*. Id egre ferens L. Antonius M. IIIViri frater, tunc Conſul, vel deductionem in fratris adventum differri, vel in partem diviſionis agrorum eam, quæ ad M. fratrem pertinebat, recipi ſe poſtulavit. Dio lib. XLVIII. *Cæſar ſecundum id, quod cum Antonio poſt victoriam fecerat pactum, omnibus ſuis Antoniiſque militibus dividere agros volebat, ut eorum ſibi animos benevolentiâ obſtringeret: Antonius, & Fulvia* [M. IIIViri Uxor] *ſuis militibus competentem partem ipſi aſſignare, ipſique Colonias deducere volebant, ut eorum vires ſibi adjungerent: videbatur enim utriſque expeditiſſima ratio bona inermium ſuis militibus largiri:* Appianus eod. lib. V. *His animadverſis Antonii Frater Lucius, tunc Conſul, & ejuſdem Uxor Fulvia, & qui abſentis bona procurabat, Manius, ne Cæſaris videretur totum hoc beneficium, neve ſoli deberetur gratiâ, & alter Imperatorum fraudaretur favore militum, vafrамentis agebant, ut Coloniarum deductio differretur in adventum Antonii: quod quum impoſſibile videretur propter feſtinationem militum, petebant a Cæſare, ut Antonianos ipſi deducerent in Colonias, quamvis ex pacto id munus Antonius ſoli Cæſari ceſſerat, quod tamen conceſſum negabant*. Quum vero parum Lucius & Fulvia expoſtulationibus proficerent, ad exercitum verſi, ipſius M. Antonii liberis circumlatis, obtinuerunt a Cæſare, ut ipſi Antonianos in Colonias deducerent; ita Appianus qui multo exactius, quam Dio, hæc narrat lib. V. Civil. *productâque ad exercitum Fulviâ cum parvis Antonii liberis invidioſe ſupplicabant, ne paterentur illum fraudari ſuâ gloriâ, ſimul occaſione referendæ ipſis gratiæ. Et erat tum inclitum Antonii nomen, & apud milites, & apud cæteros, nam Philippenſis Victoria propter adverſam Cæſaris valetudinem tota videbatur unius Antonii. Cæſar quamvis non ignarus pacta violari, ceſſit tamen in gratiam Antonii, atque ita Legiones Antonianæ in Colonias deductæ ſunt, nimiâ deductorum militum licentiâ, dum ne videretur Cæſar beneficentiâ vincere, minus cohibentur a maleficiis*. Id vero ſtatim L. Antonium feciſſe vel ex eo conſtat, quod ante bellum eodem anno inter L. Antonium, & Auguſtum exorto, Antoniani in Colonias deducti jam fuerant: narrat enim Appia-

Digitized by Google

Appianus citat. lib. V. Lucium ad Antonianorum Colonias confugiſſe, bellum adverſus Cæſarem paraturum: *quumque Cæſaris equites excurriſſent in Bruttiorum litora, ne Pompejus ea vaſtaret, Lucius ſive timens, ſive fingens ſe timere, ne contra ipſum & Antonii liberos equitatus ille miſſus eſſet, curſim ſe contulit ad Antonianorum Colonias, collecturus ibi ſatellitium, Cæſarem calumniando ut perfidum erga Antonium*. En igitur quando Piſaurum ab Antonio Colonia deducta fuerit, nempe: A. U. DCCXIII. a L. Antonio Coſ. M. IIIViri fratre, ipſius M. auſpiciis, Antoniani milites Piſaurum ex lege Triumvirali deducti fuerunt: quanta porro veterum Piſaurenſium injuriâ, qui agris, tectis, omnibus denique ſuis rebus miſere ſpoliabantur, nihil attinet diſputare. Ex hâc tamen deductione, quæ tantopere Piſaurenſes afflixit, antiquæ amplitudinis non leve nobis argumentum exoritur: idem enim Appianus tradit Urbes illas, quæ a IIIViris in præmium militibus propoſitæ fuerant: *Italicarum Urbium tam opibus, quam agri bonitate, ac ædificiorum pulchritudine præcellentium* fuiſſe.

An Auguſtus poſtea ſuperato Antonio novos huc Colonos adſcripſerit, merito quæri poteſt. Scimus enim ex Dione lib. LI. Auguſtum *eos conventus Italiæ, qui Antonii rebus ſtuduiſſent, extorres egiſſe, militibuſque agros eorum donaviſſe*. Ego vero, ſi mea hic libere proferenda ſententia eſt, ſub ipſa belli Actiaci initia Auguſtum ſibi Piſaurenſes partim metu, partim beneficio conciliaſſe exiſtimo. Audiendus Dio lib. L. *Cæſarem Italia omnis (quos enim Antonius in Colonias deduxerat, eos Cæſar partim metu, partim beneficio ſibi adjunxerat, cujus rei cauſſâ inter alia Bononiam quoque Coloniam militibus conſtituerat, ut a ſe id beneficium, ii habere viderentur) Gallia, Hiſpania... adjuvarunt* in bello ſcilicet contra Antonium. Etenim ſi Antonianis Colonis expulſis, novam Piſaurum Coloniam deduxiſſet Auguſtus, in recenſendis Coloniæ Piſaurenſis cognominibus, Auguſtæ appellationem, quâ tantopere gloriari par erat, utique non omiſiſſent.

Nunc jam ad ipſum Plutarchi locum accedamus, quo omnem antiquitatis laudem Piſaurenſi Urbi inepte admodum detrahere conatur non unus Scriptor, dum vetus Piſaurum omnino abſorptum, novum hoc poſtea excitatum ſomniantur. Non eſt hujus loci integrum authorum Catalogum contexere, qui, ut ſuperius dixi, vere pecudum more, antiquiorem deſcribentes, ſua faciunt, quæ ab aliis accipiunt, ſive bona ſint,

ſive

ſive mala, adeo ut apud cordatos Viros nihil jam quicquam authoritatis obtineat, etiamſi immanis ſit, Scriptorum enumeratio; neque hujus item eſt loci juſtam de terræ hiatibus, quibus Piſaurum abſorptum venditant, inſtituere diſputationem. Sat erit in noſtrorum hominum gratiam paucis quid de hâc re ſentiendum ſit differere. Præfari tamen oportet, gratias me maximas Plutarcho & debere, & agere, quod Antonianam deductionem ſolus tradiderit, quâ ignoratâ parum certe Piſaurenſem illorum temporum hiſtoriam cognoſceremus. Sed quod ad prodigium attinet, pace tanti Scriptoris dicam, erravit Plutarchus, quod niſi oſtendero, culpam ego præſtabo. Negari non poteſt inter omnia, quæ Actiacam M. Antonii cladem præceſſerunt, prodigia, nullum hoc, quod Plutarchus narrat, horribilius, illuſtrius etiam ſi vis, nullum fuiſſe. At cur ſolus narrat Plutarchus, qui centum, & amplius annis poſt pugnam Actiacam floruit? cur ſilent quot quot aut circa eam ætatem vixerunt, aut res illorum temporum conſcripſerunt? Julius Obſequens libellum *de Prodigiis*, ut Viri docti conſentiunt, ex Livii hiſtoria conſarcinavit, ac ipſa etiam Livii verba plerumque uſurpavit; ac quamquam Obſequentis liber nonnullis lacunis deformetur, ubi tamen integer eſt, quod ad prodigia attinet, nihil Livii hiſtoriâ opus eſt: profecto in hac parte incorruptus eſt Obſequens, ac ea quidem prodigia, quæ M. Antonii cladem prænunciaverant, enucleate deſcribit: *Statua equeſtris Antonii domi corruit: equus phaleratus in ipſius conſpectu feſtinans concidit: quidam e populo ſanguine victimarum prolapſo reſperſam cruore palmam proficiſcenti dedit: funeſta hac ipſi prodigia fuere*. Qui fit igitur, ut levia hæc perſcripſerit, magnum illud & horrendum omiſerit? Atqui is, quæ Piſauri alias acciderunt prodigia, accurate narrat; ſcribit cap. LXXIII. Ti. Graccho M. Juventio Coſſ. *nocte ſpeciem ſolis Piſauri adfulſiſſe:* rurſus cap. CVIII. P. Cornelio Lentulo P. Licinio Coſſ. *Piſauri terra fremitum auditum, muri pinnas ſine terramotu paſſim diſiectas civiles portendiſſe diſcordias*. At ipſum Piſaurum terræ hiatu abſorptum fuiſſe præterit? idcirco itaque tam atrox prodigium tacuit Obſequens, quia nihil de eo tradiderat Romanæ hiſtoriæ parens Livius. Fatale ſive Julii Obſequentis, ſive potius Livii ſilentium, alterum item fatale ſilentium conſequitur, Dionis nempe Caſſii Romanarum rerum accuratiſſimi ſcriptoris. Enumerat is omnia prodigia, quæ Antonii cladem portenderunt lib. L. *Antonio autem clades a*

*pueris*

*pueris Romæ prædicta eſt, qui nullius juſſu in duas partes diviſi, quarum altera Cæſariani, altera Antoniani vocarentur, biduum conflixerunt, ac ſuccubuerunt Antoniani: Statua quoque in Albano juxta Jovem poſita lapidea multum ſanguinis effudit, quo ei interitus portendebatur;* aliaque plura minoris certe momenti: nihil tamen de miſero univerſæ Urbis excidio tradit, ejuſque Urbis, in quam ipſius auſpiciis militaris Colonia deducta fuerat; Equidem parum callere videretur Dio, quanta interceſſerit conjunctio Imperatorem inter, & militares ab eo deductas Colonias, a quo ipſum etiam nomen mutuabantur. Claudat ſilentium Scriptorum agmen Plinius, qui de terræ hiatibus agens lib. II. cap. 80. illuſtrem hunc, quo integra Civitas iſtorum ſententiâ periit, ommittere non debuerat; de eo tamen litera ibi nulla invenitur.

At vero ſi tacet ibi Plinius, non tacet alibi, nec tacent alii, ut omnino intelligamus, quam futile ſit id, quod ex Plutarcho colligunt. Et ut a Plinio initium ſumam, is in VI. Italiæ Regione lib. III. Cap. XIV. Piſaurum memorat. *In ora flumen Æſis, Senogallia, Metaurus fluvius, Colonia Fanum Fortunæ, Piſaurum cum amne:* At enim ævo Plinii rurſus Piſaurum ædificatum fuerat. Primum valde erraret is, qui putaret Urbe terræ hiatu abſorptâ, aliam ſtatim ibidem potuiſſe excitari, noviſque civibus frequentari. Deinde Plinius non de ſuis, ſed de Auguſti temporibus intelligendus eſt; certum eſt enim Plinium integram nobis Auguſti deſcriptionem dediſſe, variatâ dumtaxat locorum diſpoſitione, ut ipſe teſtatur. *Qua in re præfari me neceſſarium eſt authorem nos D. Auguſtum ſequuturos, deſcriptionemque ab eo factam Italiæ totius in Regiones undecim, ſed ordine eo, qui litorum tractu fiet.* Plinio duo alii accenſendi ſunt authores; Primus eſt M. Vitruvius, qui & ſub Auguſto vixit, & ipſi libros ſuos de architecturâ nuncupavit, &, quod caput eſt, diu Fani moratus eſt, ut Baſilicæ, quam ibi Auguſtus fecit, conſtructioni præeſſet. Differit is lib. II. Cap. 9. de lignis in uſum fabricæ idoneis: ubi autem ad laricem ventum eſt, inquit: *hæc autem per Padum Ravennam in Coloniâ Faneſtri, Piſauri, Ancona, reliquiſque, quæ ſunt in ea regione, Municipiis præbentur.* Alter eſt Pomponius Mela peritiſſimus geographus, qui paullo poſt Auguſtum floruit: hic quoque in Italiæ deſcriptione lib. II. cap. 2. Piſaurum memorat. *A Pado ad Anconam tranſitur Ravennam, Ariminum, Piſaurum, Faneſtrem Coloniam, Flumen Metau-*

*Metaurum*, *atque Æſim*. Hic jam quæro, num exiſtimari poſſit, Piſaurum terræ hiatu ita occulte abſorptum, ut nullus alius Scriptor tam horrendi caſus meminerit? deinde vero uno vel altero die rurſus ita magnifice ædificatum, civibuſque ita frequentatum, ut continuo in omnium Scriptorum ore, oculiſque fuerit?

Ex his quæ huc uſque deduximus, manifeſte patere arbitror, quam a vero longe aberrent, qui Piſaurum hiatu terræ abſorptum volunt. Nunc de Plutarcho quid ſtatuendum ſit, exponam. Plutarchus Piſaurum terræ hiatu periiſſe nuſquam dicit: ſcribit tantum in ore quorumdam id fuiſſe λεγεται *ferunt*, *dicunt*. Inde ut res geſta ſit, facile conſtat. Templum aliquod, aut aliud publicum ædificium tunc forte Piſauri periit, vel labefactatum fuit, quod fieri potuiſſe nemo ſanus negabit; Verum, ut augeri omnia vulgo, atque amplificari in dies ſolent, a fortuitâ ædificii alicujus ruinâ, ad terræ hiatum, ad univerſæ Urbis excidium, gradibus ventum eſt: Tale aliquid incerto fortaſſe quorumdam rumore ferebatur: ab his accepit bona fide Plutarchus, Græcus homo, & Italicarum rerum, profecto minus, quam Itali, peritus.

DECIES CENTENA MILLIA NVM. DEDIT. Licet hinc colligere quantæ fuerint Piſaurenſium opes, quum C. Titius uno legato ingentem ſcutorum Romanorum XXV. M. ſummam inſumpſerit. Nummi nomen generale eſt, & ad omnes monetas pertinet, verum tamen pro ſeſtertio ſæpenumero uſurpatur, cujus rei, ne lectori oneri ſim, nolo exempla accumulare.

ITAVT &c. En diſpoſitio teſtamentaria C. Titii nempe ut ex ſeſtertiorum $\overline{\text{CCCC}}$ uſuris per ſingulos annos die natali Titii Maximi filii ſui populo epulum divideretur, & ex ſeſtertiorum DC. uſuris quinto quoque anno munus gladiatorium ederetur. Variat Inſcriptio in efferendâ ſumma a C. Titio relictâ. Primum enim per nummos ſeu ſeſtertios, qui duobus aſſibus cum ſemiſſe conſtabant, enunciatur univerſa ſumma decies: Mox eadem per ſeſtertia, quæ mille ſeſtertios continebant, dividitur. Hinc & duo Kalendaria efficiuntur alterum ſeſtertiorum CCCC ad epulum, alterum ſeſtertiorum DC ad munus gladiatorium, cujus poſtremi Curatorem fuiſſe C. Mutrium vidimus ſupra n. XXXVIII.

SESTERTIORVM $\overline{\text{CCCC}}$. Ita perſpicue in marmore, & neceſſario, ut diviſa ſumma ſeſtertiorum CCCC. & DC reſpondeat integræ ſuperius enunciatæ. Id autem eo adnotandum

dum duxi, ne quis authoritate Fabretti ductus aliud M. millenarium numerum ſignificans, quærat.

VSVRIS. Explorati Juris eſt omnes Romanorum uſuras menſtruas fuiſſe, eaſque menſium Kalendis aut exactas fuiſſe, aut ſaltem exigi potuiſſe; ut late docet J. C. doctiſſimus Gherardus Noodt de Fœnor. & Uſur. lib. II. cap. I. Hinc Kalendarii nomen factum libro illi, in quo rationes uſurarum perſcribebantur. Cujus autem generis uſuræ eæ fuerint, ex quibus epulum populo dividi, & munus gladiatorium edi debebat, quum apud Romanos plures fuerint, quæri poteſt. Centeſimas tamen fuiſſe, quivis mihi facile conceſſerit, qui Plinii epiſtolam ad Trajanum lib. X. conſideraverit. *Pecunia*, inquit, *publicæ, Domine, Providentiâ tuâ, & miniſterio noſtro exactæ ſunt, & exiguntur, quæ, vereor, ne otioſæ jaceant: Nam & prædiorum comparandorum aut nulla, aut rariſſima occaſio eſt, nec inveniuntur, qui velint debere Reipublicæ præſertim duodenis aſſibus, quanti a privatis inveniantur.* Accedat veteris Inſcriptionis teſtimonium ex Grut. p. CLXXV. 4.

HOC AMPLIVS ARK. REIP. COLLEGII SS
DONVM DEDIT - X - V (*) VT EX VSVRIS
CENTESIMIS EIVS QVANTITATIS
QVAE EFFICIVNT ANNVOS - X - DC DIE
VIIII KAL. OCTOBR NATALI DIVI
AVGVSTI EROGENTVR EX ARK &c.

Gravior enim uſura idoneos debitores non inveniſſet, licet Verres, ut Cicero docet lib. III. in Verrem, pecuniam ſibi ad publici frumenti coemptionem attributam, apud publicanos relictam, duabus centeſimis fœneratus fuerit, quæ uſura apud Grut. pag. CCVIII. pœnæ nomine imponitur ei, qui ut agrum venderet, ſepulcra diruit & religioſa loca violavit, & licet Brutus quaternis centeſimis pecuniam a Salaminiis pepigerit, ut idem Cicero tradit ad Atticum lib. V. ep. 4. Porro ſi



(*) *Gruterus habet XV. ſed male; nam ut ex uſuris centeſimis efficiantur denarii DC, ſors neceſſario eſſe debuit denariorum quinque millium, vel ſeſtertiorum nummorum viginti millium. Seperandæ igitur in ea Inſcriptione literæ numerales X-V, adeout prima denarios ſignificet, altera ſummam quinque millium denariorum denotet, niſi forte in marmore duæ XX. habeantur, quæ XX millia ſeſtertiorum exprimant.*

centeſimis uſuris collocata fuerat pecunia a C. Titio Coloniæ relicta, ex Kalendario Seſtertiorum CCCC. quotannis ſcuta Romana MCC. efficiebantur. Nec minori ſummâ opus erat ad epulum univerſo populo dividendum.

DIE NATALI. Præcipue Die Natalì ſuo epula hæc dari volebant, qui pecuniam in id erogabant. Vid. elegantiſſimam Inſcriptionem Beneventanam apud Fabrett. Inſcr. Dom. Cap. III. n. 610.

TITI MAXIMI: hoc eſt C. Titii Maximi: ſæpe enim prænomen filii idcirco fortaſſe omiſſum, quod commune cum patre fuerit. Nec deſunt in ipſis C. Titiis exempla. In Fabrett. Cap. V. n. 53. C. TITIVS PROBVS TITIO SEPTIMO titulum ponit in Gruter. pag. CCCCLXXV. 3. C. TITIO CHRESIMO honorem Biſellii ET TITIO CHRESIMO FILIO EIVS honorem Decurionatus Ordo Sueſſanus decernit.

ET EX SESTERTIORVM DC &c. Pecuniam hanc HS DC ſeparato Kalendario adminiſtratam a C. Mutrio vidimus ſupra n. XXXVIII. Seſtertiorum DC uſuræ centeſimæ quinto quoque anno, efficiunt ſcuta Romana millia IX. Hinc patet quanti ſumptus fuerit muneris gladiatorii editio.

## X L I V.

INter Piſaurenſia marmora hæc quoque Inſcriptio locum ſibi vindicat, non ſolum quia a Plebe Piſaurenſi C. Valio poſita fuit, verum etiam quia Piſauri olim viſebatur, ſiquidem ultimæ ſiglæ interpretandæ ſint *Decurionum Piſaurenſium*, ut infra dicam: licet Manutius in Ortograph. pag. 659. *Romæ* eſſe ſcribat, Gruterus vero p. CCCCLXXXI. 9. *Ferrariæ in Ædibus Franciſci Girardini*. Porro locorum varietatem mirari ii ſolum poterunt, qui MSS. Inſcriptionem Codices numquam viderint.

C. VALIO. *Vallia* gens ſæpenumero occurrit in antiquis Inſcriptionibus, non item *Valia*.

ORNAMENTA DECVRIONATVS. *Quemadmodum*, inquit Emus Noriſius Diſ. I. Cap. 6. Cen. Piſ. *Romanis ducibus re feliciter geſta Ornamenta Conſularia ab Imperatoribus dabantur, ita in Coloniis Civibus Plebeys optime de Patriâ meritis Ornamenta Decurionum conferebantur*. Hinc patet C. Valium, quum optime de ſplendidiſſimis Ordinibus Piſaurenſi, & Ariminenſi meruiſſet, fuiſſe ab iis Decurionatus ornamentis inluſtratum,

*nem-*

Digitized by Google

*nempe ut dicitur in lapide Sueſſano pag.* CCCCLXXV. 3. *VT COMMODIS PVBLICIS AC SI DECVRIO FRVERETVR*. Non enim, per conceſſionem Ornamentorum Decurionalium, Decurionatum quoque conceſſum fuiſſe, ſolide probat idem Emus Scriptor loco citato. Eos autem, qui tali honore affecti fuiſſent, DECVRIONES ORNAMENTARIOS aliquando dictos animadvertit ſæculi noſtri Ornamentum Scipio Maffæjus Epiſt. XII. Gall. Antiq. quæd. ſelect. ORNAMENTA autem inluſtratus pro *Ornamentis inluſtratus* dicitur in Inſcriptione noſtrâ C. Valius per Helleniſmum, ut in Virgil. Æneid. II.

*Os, humeroſque Deo ſimilis.*

A SPLENDIDISSIMO ORDINE ARIMIN., & infra A SPLENDIDISSIMO ORDINE PISAVRENS. Ordine ſcilicet Decurionum Ariminenſium & Piſaurenſium: notum eſt enim *Ordinis* appellatione Ordinem Decurionum, ſive Municipalem Senatum intelligi. Plures illi tituli tribuuntur, *Sancti*, *Sanctiſſimi*, *Clariſſimi*, *Nobiliſſimi*, *Ampliſſimi*, *Piiſſimi*, quos vid. in magno Indice Gruterian. Cap. IX. *Splendidiſſimi* tamen titulus frequentior, & accommodatior.

COLLEGIORVM. Breviter nunc Collegia, quæ in Inſcriptione noſtrâ memorantur, illuſtranda ſunt. Collegiorum inſtitutionem Numæ Plutarchus aſſignat, Servio Tullio Florus; ego utroque antiquiorem oſtendi in eâ epiſtolâ, quam ad Marcellum Franciarinium dedi de recenti Eugubinarum Tabularum inrerpretatione. Ut ut illud ſit, plurima certe Collegia, & Romæ fuerunt, & in qualibet Coloniâ, ita ut ſemel, atque iterum, ne jure Collegii factioſi homines ad res novandas, & Rempublicam perturbandam abuterentur, legibus ſublata ſint, quas vid. apud Sigon. de Antiq. Jur. Civ. Romanor. lib. II. Cap. XII. & apud Anton. Auguſtinum de Legibus; Iis tamen legibus ſemper excipiebantur Collegia *antiquitus inſtituta* & *legitima*, ut ait Sveton. in Cæſ. Cap. 42. & in Aug. Cap. 32, & *quæ utilitas Civitatis deſideraſſet*, ut inquit Aſconius in Ciceron. Orat. pro C. Cornelio. Profecto cauſſas, cur hujuſmodi Collegia inſtituta ſint, ſive religioſæ eæ fuerint, ſive Politicæ, definire haudquaquam hujus eſt loci, dummodo tamen illud ſciamus, ea peculiares ſuas religiones habuiſſe, ut ex Plutarcho in Vitâ Numæ conſtat, & peculiare patrimonium, ut apparet ex l. 1. § 2. & l. 3. ff de Colleg. & Corpor, vel Corporatorum collatione, ut innuitur in ead. *l.* 1. in pr. comparatum, vel beneficorum, & liberalium homi-



Digitized by Google

num largitione, quod innumeræ teſtantur Inſcriptiones: itidem plane quemadmodum nunc fit, ut opifices præcipue Sodalitia quædam ſeu Collegia inſtituant, quibus quotquot eam artem profitentur, adſcribi dumtaxat poſſint, non ſolum ut Divum artis Patronum impenſiori ſtudio colant, verum etiam ut quæ ad artis conſervationem, atque incrementa conducere videntur, omni ope procurent.

FABR. Fabrum Collegium militarium expeditionum uſui deſtinatum in vulgus creditur: Verum teſte Vegetio lib. II. Cap. XI. quæque legio ſuos habebat *Fabros lignarios*, *Structores*, *Carpentarios*, *Ferrarios*, qui in Inſcriptionibus expreſſe, quâ Legione fuerint, indicantur; hinc apud Reineſ. Cl. VIII. 65. *C. Ancharius* FABER FERRARIVS LEG. XX GEM. Nihil eſt igitur cauſſæ cur Piſaurenſes Fabros militiæ aſſignemus; verum ſtatuamus neceſſe eſt eos Piſaurenſium civilibus uſibus occupatos fuiſſe, eoque Collegio, quod præcipuum inter Opificum Collegia cenſemus, univerſos eos artifices comprehenſos fuiſſe, qui Fabrorum nomine continentur, nempe Ferrarii, Murarii &c.

CENT. Centonarios item militaribus uſibus addictos Viri docti exiſtimarunt. Eruditiſſimus Archiepiſcopus Fontaninus lib. II. Antiq. Hort. Cap. V. n. 3. eos fuiſſe ſcribit: *qui arcibus*, *navibus*, *militibus centones ipſos offerendos curabant*. At quum hic de Colonicis artificibus agatur, & quum Centonum nomine, ſtragula etiam craſſiora intelligantur, quibus oſtia (*) claudebantur, aut viliſſimarum perſonarum lecti tegebantur, ut Sipontinus docuit, vel item muli in itinere, ut ex Livio conſtat lib. VII., & veſtes quædam ruſticæ, ac ſerviles, ut idem doctiſſimus Præſul loco citato obſervat, non eſt cur dubitemus, Centonariorum appellatione hic ſignificari eos, qui ſtragula

(*) *Vela illa*, *ſeu aulæa*, *quæ nos hodie* Portiere *appellamus*, centones *olim dicta fuiſſe docent Petron. in Satyr.* & ſubinde, ut in locum ſecretiorem venimus, centonem anus urbana rejeçit: *velum nempe illud*, *quo lupanaris oſtium claudebatur*, *ut ex integro Petronii loco conſtat*. *Inde Juvenalis Sat. VI.*

Intravit calidum veteri centone lupanar.

*Aperte* velum *vocant Martialis lib. I. epig.* 35.

At meretrix abigit teſtem veloque, ſeraque

*& lib. II. epigr.* 46.

Intraſti quoties inſcriptæ limina cellæ,
Seu puer arriſit, ſive puella tibi;
Contentus non es foribus, veloque, ſeraque.

*& Juvenalis Sat. IX.*

Claude feneſtras
Vela tegant rimas, claude oſtia, tollito lumen
E medio.

Digitized by Google

gula quæque conficiebant; atque ut in uno Collegio plures artifices continebantur, ſic lanarii quoque, & fortaſſe etiam Veſtiarii eidem Collegio adſcribebantur.

DENDR. Diu inter viros doctos de hujus verbi ſignificatione diſceptatum eſt, quorum tamen controverſiæ ad nos minime pertinent. In hâc enim Inſcriptione ii ſunt, quibus cura fuit, ut ait doctiſſimus Fontaninus eod. Cap. V. n. 4. *cadendi, aſportandique rudem e ſylvis materiem*. In eorum porro Collegio, Tignarios etiam, & Lignarios comprehenſos fuiſſe non dubito, quum illorum opificium proxime ad illud Dendrophororum accedat.

NAVICVL. Navicularii Græce ναυκληροι dicuntur, nos hodie *Patroni di Barca* appellamus. Dioſcori Naucleri Græcam Inſcriptionem vide in noſtris Chriſtianis. Porro ob eam, quam ſæpe diximus rationem, eodem Collegio Lenuncularios quoque contineri puto, & alios ejuſmodi generis homines.

VICIMAG. Niſi Vici-Magiſtros quoque in unum corpus coiiſſe, & Patronum ſibi C. Valium adoptaſſe velimus, munus hic C. Valii ſignificari concedamus neceſſe eſt, quod nempe Vici-Magiſter fuerit Coloniæ Piſaurenſis. De Vici-Magiſtris V. Not. IX. & infra Not. CXXXII.

Sed quoniam de Collegiis verba fecimus, novum aliud Antiquariis, ut arbitror, hactenus inauditum proferamus ex Inſcriptione, quam in agro Tudertino ad S. Mariæ in Pantano, ubi fuit olim Vicus Martis Tudertini, ex marmore deſcripſit, dum adhuc adoleſcentulus eſſet, Jo: Baptiſta Paſſerius amicus in primis meus.

(*)

C · SVRIINVS . L . F.
ANISIME CAARI
MEM . MIL . COR . VII PR
VOIVNTIIE MILI TA AN
XIV VIXIT ANNIS XXXII
HIC RELIQVIT SODALIB
MARTIENSIBVS IN OS
SA SVA TVENDA
Hs ∽ ∽
ſic
COLLEGIVS IVMENTA
RIORVM HVIC CIPPO
LOCVM DEDIT.

L . D . D . D . P . Locus datus Decreto Decurionum Piſaurenſium ; ita interpretatus eſt Manutius recte , & neceſſario; Quum enim Piſauri Statua a Plebe Urbana C. Valio ponenda eſſet, ab Ordine Decurionum Piſaurenſium publici loci conceſſio erat impetranda . Inde colligitur Piſauri olim hanc Inſcriptionem fuiſſe, non Romæ, non Ferrariæ, ut initio dicebamus.

## X L V.

INſcriptionem hanc Romæ apud Excmos Cæſios exſtare tradunt MSS. noſtræ collectiones . Diu illam , dum Romæ eſſem, quæſivi.

PISAVR. MVNICIP. Coloniæ P. R. duobus modis Municipia dici poſſunt, aut proprie, aut abuſive . Proprie, quando ex Coloniæ formâ in Municipii ſtatum, Senatus, vel Imperatorum authoritate mutatæ fuerint; cujus quidem rei non deſunt exempla: Sueſſam ex Coloniâ in Municipium converſam

(*) *In hac tamen Inſcriptione, primo Verſiculo C. Severinium fuiſſe exiſtimo, quem ob literarum corruptionem , quæ integris primis quatuor verſiculis ineſt , agnoſcere Paſſerio non licuit. Dubitare enim nos non ſinit alia ab eodem Paſſerio ibidem deſcripta Inſcriptio* SEVERINIAE C. FILIAE *&c. quæ bis in Grutero edita eſt pag.* MXXIX. 5. *& pag.* MLXXVII. 9. *Secundo verſiculo Tribus erat fortaſſe Anienſis, & C. Severinii cognomen. Quarto verſiculo Centuria Cohortis* VII. *Prætoriæ, qua C. Severinius* XIV. *annis militavit.*

ſam aperte tradit Cicero Philip. 13. 8.: *lautiſſimum*, inquit, *oppidum, nunc Municipium, honeſtiſſimorum quondam Colonorum, Sueſſam, fortiſſimorum militum ſanguine implevit.* Præneſtinos Gellius lib. XVI. Cap. 13. tradit *maximo opere a Tiberio Imperatore petiiſſe oraſſeque, ut ex Coloniâ in Municipii ſtatum redigerentur, idque illis Tiberium pro referendâ gratiâ tribuiſſe, quod in eorum finibus ſub ipſo oppido ex capitali morbo revaluiſſet.* V. Spanhem. Orb. Rom. Exerc. I. Cap. 16. Fontanin. de Ant. Hort. lib. I. Cap. V. n. I. Abuſive, quando abſque ullâ conditionis mutatione, Coloniæ, earumque Cives, Municipia, & Municipes appellabantur. Ulpianus in l. 1. ff. ad Municipal. *Sed nunc abuſive Municipes dicimus ſua cujuſque Civitatis Cives, ut puta, Campanos, Puteolanos, Coloniæ nempe utriuſque incolas.* Gellius loco citat. *Quotus enim noſtrum eſt, qui, quum ex Coloniâ P. R. ſit, non ſe & Municipem eſſe, & populares ſuos Municipes eſſe dicat, quod eſt a ratione, & a veritate longe averſum.* Vid. Velſer. Rer. Aug. Vind. lib. V. in f. Fabrett. Inſcr. Dom. Cap. VI. pag. 464. Fontanin. loco cit. Hinc in antiquis Inſcriptionibus eamdem Urbem modo Coloniam, modo Municipium dici videmus. De Bovillis animadvertit Fabrettus loco laud. De Ortona in Aprutio Fontaninus loco item laud. His addendæ Sueſſa, *Colonia* in Gruter. p. CCCCLXXV. 3. MXCIII. 8. *Municipium* in CLI. 3. Celeja *Colonia* p. CCCLXXXVI. 3. CCCCLXXXII. 7. DLVI. 7. *Municipium* p. CXV. 5. DCI. 6. Hiſpellum, *Colonia* p. CCCLI. 1. *Municipium* apud Reineſ. Cl. I. 297., quæ iterum occurrit in Don. Cl. I. 138. Caſinum, *Colonia* apud Don. Cl. V. 14. *Municipium* in Grut. p. CCCLI. 1. quæ rurſus habetur in Don. Cl. V. 15. Plures alias brevitati conſulens, omitto. His poſitis haudquaquam facile erit definire utrumne proprie, an abuſive Piſaurum in Inſcriptione noſtra Municipium dicatur. Mihi quidem ſane videtur Piſaurum proprie Municipium appellatum, quia nempe ex Coloniâ aliquando in Municipii ſtatum redactum fuerit, idque duas potiſſimum ob cauſſas. Primum quidem, quia licet Coloni Municipes dicerentur, & Coloniæ Municipia, hujus tamen vocis abuſus vix irrepere potuiſſe videtur in publica Monumenta, quæ haud oſcitanter, ſed mature, & ſerio veteres inſcripſerunt. Deinde vero, ut in illa etiam irrepſerit, nequaquam credibile eſt irrepſiſſe jam inde ab extremis Reipublicæ, vel primis Imperii temporibus, ad quæ Inſcriptionem noſtram

per-

Digitized by Google

pertinere arguit cognominis in C. Lartio, & M. Æbutio defectus, *archaiſmi potentiſſimum indicium*, inquit Fabret. Inſcr. Dom. Cap. III. p. 240., *quum priſci illi ac pultiphagi Quirites cognomina, tamquam ſatis ſolo nomine & tribu noti eſſent, omittere ſoliti eſſent*. Profecto Ulpianus, & Gellius recentem ſuorum temporum abuſum deſignare videntur.

## XLVII. XLVIII.

IN Collectione Donianâ exſtat hæc Inſcriptio Cl. I. 351 parum accurate deſcripta. Deficit alterius lapidis pars (duobus enim lapidibus continetur) quæ Seviratus iterationem exhibet. Quo pacto hæc iteratio intelligenda ſit, diximus Not. VIII.

## LIV.

HOſpes & Hoſpita cognomina ſunt Romanis hominibus uſitata, ac ſæpenumero in antiquis Inſcriptionibus occurrunt. V. magnum Gruteri Indicem. Vettiam Ɔ. L. Hoſpitam dedimus n. CXLIV. In hac tamen Inſcriptione aliter rem ſe habere arbitror, propterea quod *Severina* cognomen eſt feminæ, cujus gentilitium nomen omiſſum eſt; Quod ſi alterum ejuſdem Severinæ cognomen *Hoſpitam* fuiſſe quis vellet, pluribus enim cognominibus appellatas fuiſſe feminas ſatis conſtat, is in marmore deeſſe aliquid fateri cogeretur, *femina* ſcilicet, vel quid ſimile, cui ſanctiſſimæ epithetum referretur. Aliud igitur *Hoſpitæ* nomine ſignificari facile mihi perſuadeo. Potuit enim Severina a P. Ælio *Hoſpita* dici, vel quia cum eâ hoſpitium illi fuiſſet, quo jure nihil apud Veteres fuit antiquius, nihil ſanctius; vel quia apud ipſam hoſpitaretur in hyberna deductus: *Hoſpites* enim dicuntur in l. un. C. de Salgamo milit. non præſtan. qui milites in hyberna deductos domi ſuæ habent; quod officium, dum hæc ſcribo, exteris copiis per ſummam injuriam præſtare cogimur. Sed & Hoſpitæ nomine conjux intelligi poſſe mihi videtur. Id ne temere quis dictum putet, animadvertendum in primis eſt, militibus Romanis, poſtquam militia fuit ſuis legibus devincta, interdicta fuiſſe matrimonia. Tacitus Annal. lib. XIV. C. 27. milites *neque conjugiis ſuſcipiendis, neque liberis alendis ſuetos* ſcribit. Dio lib. LX. narrat Claudium, ni fallor, *militibus, quoniam ex legibus uxorem habere non poterant, jura indulſiſſe maritorum*.

Licet

Digitized by Google

Licet autem juſtas uxores habere non poſſent, concubinas tamen habebant, & cum eis, ſi non jure civili, probatas tamen naturali jure nuptias contrahebant; hinc quando honeſtâ miſſione donabantur, Imperator matrimonium, quod antea contraxiſſent, convalidabat, & in filios, quos antea ſuſcepiſſent, patriam poteſtatem concedebat, ut facile conſtat ex miſſionum harum tabulis, quas V. in Grut. p. DLXXIII. & ſeqq. Spon. Miſcell. pag. 224. & Maffejo Art. Crit. Diplom. lib. I. Antequam vero eorum connubia Principis auctoritate firmata eſſent, uxores ſuas *contubernales* appellaſſe eruere mihi videor ex Gruteri Inſcriptione p. DLXII. 10.

D . M
DRVSIANAE
FALISCAE
CONTVBERNALI
DVLCISSIMAE
VIX . AN . XVIIII
M . IIII . D . VII
C . SVLPITIVS F...
EQ . SING . AVG .
TVR . AELI PAL

Vel *Hoſpitas*, ut ex noſtra Inſcriptione colligimus, & aliâ Gruteri p. DLXIV. 5. ab uxore, ut putamus, viro poſita, quæ eadem fortaſſe eſt cum 3. p. DXXXIX.

T D.M

Digitized by Google

D . M
VAL . ATTICO B.F
COS . LEG . XII G
P . FE . STIP . XXIIII
VIXIT ANNIS XLI
FECIT AELIA PAR
THENIS HOSPITI
BENEMERENTI.

At ſexcentæ ſuperſunt Inſcriptiones, in quibus militum concubinæ conjuges & uxores vocantur. Quorſum iſtud tandem? Matrimonium inter ſervos æque vetitum erat, eorumque uxores contubernales appellabantur; tamen innumeræ pene ſunt Inſcriptiones, in quibus uxores, & conjuges dicuntur; in privatis enim hiſce epitaphiis Servilia capita ambitioſe ingenuas voces affectabant; nemo tamen unquam matrimonia inter ſervos idcirco fuiſſe exiſtimavit.

7. Nota Centurionatus. V. Urſat. de Not. Roman.

TERTIVS Cognominis vicem gerit in hac Inſcriptione *Tertius*, prænominis in Fabrett. Inſcrip. Dom. Cap. I. p. 23. LEG. III CYR. Legionem Tertiam Cyrenaicā dictā paſſim vetuſta marmora teſtantur.

L V.

PP. LEG IIII FLAV. Illud mihi doctiſſimus, ac in primis amicus Antonius Franciſcus Gorius ignoſcat velim, ſi de illius ſententiâ in his notis interpretandis decedo. Etenim in Indice Collectionis Donianæ, quæ nobis hanc ſuppeditavit Inſcriptionem, ita illas exponit. *Proprætor Legionis IIII Flaviæ*. Ego vero quum nuſquam Præprætores Legionum viderim, malim explicare *Præpoſitus Legionis IIII. Flav.* Præpoſiti Legionum haud infrequenter occurrunt in antiquis Inſcriptionibus; ii erant, qui univerſæ Legioni imperabant: tali munere olim functum fuiſſe Hadrianum ex Spartiano animadvertit Reineſius Cl. I. 28. *Secunda*, inquit ille, *expeditione Dacicâ Trajanus eum* (Hadrianum) *primæ Legioni Minerviæ præ-*

Digitized by Google

*præpoſuit*. Plerumque tamen Præfecti legionum dicebantur: talem olim fuiſſe Didium Julianum ſuſpicari facit Capitolinus in ejus vitâ. *Poſt Præturam, legioni præfuit in Germaniâ viceſima ſecunda Primigenia*. De eorum munere, & auctoritate fuſe diſſerit Vegetius integro Cap. IX. lib. II. de Re Milit. Interim alius mihi vigeſimæ ſecundæ legionis Præfectus producendus eſt ex veteri Inſcriptione, quam Firmi in Piceno vidi exſcripſique.

L . CIRPINIO . T . F . VEL
PRI . PIL . ITER . PRAEF
LEG . XXII . IIVIR ITERVM
QVINQ
MVNICIPES.

Maceratæ olim lapidem hunc extitiſſe, locuples teſtis eſt Pompejus Compagnonius Maceratenſis Patricius, Pompeii Compagnonii Viri doctiſſimi atque amiciſſimi avus in Regg. Picen. p. 39. ubi illam edidit, verum non ita accurate ut ſupervacaneum fuerit iterum deſcribere.

LEG. IIII FLAV. Legionem IIII Flavio nomine inſignitam vidimus n. XXXVI.

PRAEPOSITO VMBR. PICEN. ET APVL. Juridici, Correctores, Conſulares Umbriæ & Piceni ſæpenumero occurrunt, Præpoſiti nuſquam, quod ſciam. Proinde exiſtimare rite poſſemus, Præpoſiti appellationem in Inſcriptione noſtrâ haudquaquam nomen eſſe dignitatis, aut muneris proprium, verum illâ, pro communi ſermonis uſu, eum ſignificari, qui Provincias, Umbriam, Picenum, & Apuliam regeret. Profecto in hunc ſenſum a Cicerone Navarchi dicuntur lib. V. in Verr. c. 38. *Navibus præpoſiti*. Q. Ligarius C. Conſidii Legatus, ab eodem Conſidio in Africâ cum Imperio relictus, Orat. pro Lig. Cap. 2. *Africæ præpoſitus*; Galliæ fortaſſe Proprætor ab Hirtio Coſ. miſſus lib. XIV. ad Attic. Ep. 9. *Galliæ præpoſitus*. Quod ſi parum id probaretur, ad extraordinaria Imperia confugiendum erit. Extraordinaria Imperia pro re nata per Italiam data fuiſſe animadvertit doctiſſimus Scipio Maſ-



Digitized by Google

ſæjus Veron. Illuſtr. par. I. lib. VII. Exemplo rem planam faciemus. Senatus Romanus, ut ſeniorem Gordianum ab Africano exercitu Imperatorem conſalutatum audivit, Maximinum veritus nondum e vivis ſublatum, viginti Viros creavit, eiſque, ut ait Capitolin. in Gordian. *diviſit Italicas Regiones contra Maximinum pro Gordianis tuendas*. Profecto illud mihi non ſumo Aurelium Julianum ex his fuiſſe: diſerte enim apud eumdem Capitol. Maximinus in concione ad milites *Conſulares viros* eos vocat. At quis contendat, ſi fors ita alias ceciderit, lectos fuiſſe Conſulares tantum? Potuit igitur tum ſi ſimilis nata fuiſſet occaſio, extraordinarium Imperium T. Aurelio demandari, nempe ut eâ Legione, cui præerat, Umbriam, Picenum, & Apuliam conterminas regiones in fide contineret, aut ab hoſtium incurſionibus defenderet.

## L V I.

URnula marmorea penes me: Inſcriptionis latera foliis ambiuntur.

AVEDIA. Avedia gens deeſt tum Grutero, tum Fabretto.

## L V I I.

PRætereuntium pedibus detritam Inſcriptionem fœde deſcriptores noſtri corruperunt, legebant enim C. CORNELIO C. F. VOTAV-OTOLENSI. &c. Integram exhibuit Gruterus, & emendatam p. MXCIII. 5. ſed lineis aliter diſpoſitis.

EQVO PVBLICO HABENTI. Vel Equo Publico abſolute, vel Equum Publicum habenti dici debuit; verum hæc a Marmorariis non magnopere expectanda. De Equo Publico: V. Not. XXXI.

VO. Voltiniâ Tribu, quâ cenſebantur Toloſenſes. Vid. Gruter. p. DLXV. 6. & CMXXXIX. 3.

## L V I I I.

VUlgavit Fabrettus Inſc. Dom. Cap. VI. n. 64. & Cap. X. n. 204.

PRAEF. MIL. LEG. XIII. Gudius p. VI. 1. exhibet PRAEF. MIL. LEG. XV. APOLLIN. Nuſquam alibi, quod ſciam *Præfecti militum, Legionis*, viſuntur; hoc autem munus

idem

Digitized by Google

idem eſſe exiſtimo, ac *præfectura* ſeu *præpoſitura* legionis, quæ, ut diximus, haud infrequenter in antiquis Inſcriptionibus occurrunt.

ACCIA M. F. FABVLLA. M. Fabii filia, non Fabia, ut par erat, verum Accia a matris nomine dicitur, paterno nomine in diminutivum cognomen aſſumpto. Hinc intelligimus Acciam Fabullam ab avo materno M. Accio adoptatam fuiſſe. Idem profecto exiſtimandum videtur de aliis feminis, quæ a matre gentilitium nomen accipiunt in Fabrett. Inſcr. Dom. Cap. III. p. 173.

## L I X. L X.

UTramque Inſcriptionem edidit Cl. Fabrettus Inſc. Dom. Cap. III. n. 123., & 125. Longe accuratius exemplar eruditorum oculis ſubjecimus.

Tribus, & patria militum ablativo caſu in vetuſtis Inſcriptionibus plerumque ponuntur, genitivo tamen in horum lapidum altero n. LX. minus eleganter efferuntur.

MIL. COH. VII. PR. Sponius antiquit. Lugdunen. Cap. VIII. nonnullas ſepulcrales Inſcriptiones attulit, militum Coh. XIII. Urbanæ, Lugduni repertas; inde conjecit, eam cohortem Lugduni aliquando ſtativa habuiſſe. Sed res illi impune non fuit, nam Cl. Fabrettus Inſcr. Dom. cap. III. p. 130. acriter Sponium corripit, ſtatuens *facilius & planius eſſe concipere milites Urbanos numeroſæ, nec minus quam millenariæ cohortis in provinciâ illâ mortem obiiſſe*. Tamen ne inficetus ero, ſi vel univerſam VII. Prætoriam cohortem, vel aliquam ſaltem illius partem ſtationem Piſauri habuiſſe contendam? Auguſtus equidem, ut Svetonius teſtatur Cap. 32. militum ſtationes per Italiam diſpoſuit. *Graſſatores diſpoſitis per loca opportuna ſtationibus inhibuit*. Tiberius eod. Sveton. teſte Cap. 36. *Stationes militum per Italiam ſolito frequentiores diſpoſuit*. Jam vero eos milites, quos demum ſtationarios a ſtationibus, in quibus degebant, dictos voluit G. Panciroll. de Magiſtratibus Municip. cap. XVIII. ex Prætoriis potiſſimum cohortibus lectos fuiſſe facile mihi perſuadeo. Etenim ii milites, qui per Italiam diſtribuebantur, in Præfecti Prætorio poteſtate erant, ut conſtat ex oratione Mœcenatis ad Auguſtum Dion. lib. LII., quâ Dionem ea, quæ Romani Imperatores ſtatuerunt, complexum fuiſſe, nemini eſt dubium. *Proinde*, inquit Mœcenas, *duos quoſdam præſtantiſſimos ſatellitio tuo præficies....*

*impe-*

Digitized by Google

*imperium autem obtineant in ſtipatores, omneſque per Italiam totam milites....... Verum hi duo, quos dixi, ſatellitii tui Præfecti in cæteros per totam Italiam milites jus habeant.* Accedit illud, quod Prætoriani univerſi Romæ nequaquam ſtationem habebant: Auguſtus enim ex novem & decem cohortibus Prætoriis, ut Svetonius cap. XLIX. tradit, tres tantum in Urbe eſſe paſſus eſt, reliquis circa finitima, & opportuniora oppida dimiſſis. Notum eſt Prætorianos milites apud Albam ſupra viam Appiam ſtationem habuiſſe; Item Tibure, quod ex rariſſima Inſcriptione diſcimus, quam protulit, & notis illuſtravit doctiſſimus Antonius Franciſcus Gorius in Collect. Doniana Cl. I. 136.

LARIB . SACRVM
C . IVNIVS IVSTVS
MIL COH . VII . PRAET
STATION . TIBVR
L . D . D . D

Quid eſt igitur, cur Prætorianæ Cohortis manipulus aliquis ſtationem habere Piſauri non potuerit? Ita nunc ex eadem ipſa Prætoria Pontificis Helvetiorum Cohorte, manipulus Roma Piſaurum mittitur, qui excubias Præſidi agat.

POSIT Pro *Poſuit*; ſi I ſimplex legatur, omiſſum eſt V, ſi duplex, V mutatum eſt in I. Utriuſque rei exempla plura vid. in Indice Gruter Cap. XIX. Quum tamen ſæpius in antiquis lapidibus occurrat POSIT pro poſuit, ut ex eodem Indice conſtat, facile mihi perſuadeo ita Veteres hanc vocem pronunciaſſe; inde non fabrili errore, ſed ex communi loquendi uſu marmora inſcripta ſic fuiſſe.

In Inſcriptione LX. Λ loco A fere ſemper uſurpatur; item in aliis lapidibus Chriſtianis. Morem hunc illuſtravit Sertorius Eques Urſatus in Marm. Erudit. Epiſt. VII.

XLI.

Digitized by Google

## L X I.

VUlgavit Gruterus pag. DLXIII. 1., & Tarracone apud Ciſtereros extare ſcripſit. Legionem VII. in Hiſpaniâ commoratam fuiſſe ex Dione conſtat; Propterea C. Tadius Lucanus ejuſdem Legionis Centurio benemerito liberto Tarracone titulum poſuit. Tadiam gentem Piſauri haud obſcuram fuiſſe docet nos marmor *Tadia C. F. Barbilla* a Plebe Urbana poſitum. Vid. n. XLII.

## L X I I.

CAlpena gens primum in lucem prodiit ex Beneventanâ Inſcriptione editâ in Gudio pag. CCCLIV. 1. Lartiam gentem Piſaurenſem iterum exhibet marmor, quod dedimus n. XLV.

## L X I I I.

ARTEMIDORI. F. Si Patre cive Romano Rhetor noſter natus fuiſſet, ille de more Romanorum prænomine, non autem nomine, in lapide appellatus fuiſſet. Hinc intelligimus L. Acutium Tryphonem primum ex ſuâ gente, Græcâ fortaſſe, ut ex Artemidori patris nomine ſuſpicari poſſumus, fuiſſe, qui civitate Romanâ frueretur, Romanaque proinde nomina aſſumpſiſſe, quæ idcirco patri deſunt, quod eâdem caruerit. Duobus modis ingenuus homo, peregrinæ tamen conditionis, civitatem Romanam acquirere poterat; aut largitione Populi Romani, vel Principis, ad quem lege Regiâ omnis P. R. poteſtas translata eſt, ſeu Imperatoris alicujus, cui P. R. jus dandæ civitatis detuliſſet, ut L. Cornelius Balbus, quem Cicero luculentiſſimâ habitâ oratione defendit, qui a Cn. Pompejo civitate donatus eſt; aut emptione, ut Centurio ille, de quo Actor Cap. XXII. n. 28. ſacræ literæ meminerunt. Quomodo Trypho noſter civis Romanus evaſerit, ſciri non poteſt. Si id largitione populi aut Principis aſſequutus fuiſſet, illud affirmare poſſemus, L. Acutii alicujus beneficio eamdem civitatem obtinuiſſe. Solebant enim novi hi cives illorum ſibi nomina aſciſcere, quorum ſuffragiis civitate donati fuerant; ita idem Balbus Gaditanus, quem memoravimus, L. Cornelius Balbus dictus fuit, quia L. Cornelii Lentuli gratiâ a Pompejo civitatem conſequutus fuerat.

RHE-

Digitized by Google

RHETORI . Rhetores item, ut Grammaticos , & Medicos in qualibet Civitate fuiſſe, eorumque definitum fuiſſe numerum pro Civitatis amplitudine, diſcimus ex Jure noſtro in §. *Item Romæ* 15. Inſtit. tit. *de excuſat.* , & a Decurionibus electos , ex toto tit. C. *de Profeſſor.* Raro tamen eorum monumenta deprehendimus, imo unum modo in Grut. pag. DCLIII. 1. Palæmonis nempe Grammatici & Rhetoris Vicetini, quod iterum prodiit in Collectione Gudiana paullo immutatum pag. CCXXII. 5. ſi quidem pro genuino illud habendum ſit.

CECROPS AMPHIO LIBERT. Duos hic L. Acutii Libertos deſignari arbitror , Cecropem nempe & Amphionem, qui Patrono benemerenti monumentum poſuerint.

## L X I V.

ARchiatri duo occurrunt in Grutero pag. DCXXXII. 4. 5. Tertius in Reineſio Cl. XX. 205. quem Theodoſii ævo vixiſſe Vir doctus arbitratur . Quartum exhibet Inſcriptio noſtra anno 1605. in reparatione Eccleſiæ D. Caſſiani reperta . Archiatros dictos fuiſſe Medicorum principes , exiſtimavit Pignorius de Ser. nullum autem inter Medicos principatum fuiſſe docet Gothofredus ad l. 4. C. Theod. *de Medic. & Prof.* idcirco Archiatros appellatos fuiſſe putat eos medicos dumtaxat, qui vel Principi operam dabant , vel in Principibus Urbibus, Româ ſcilicet & Conſtantinopoli, medicinam factitabant . Parum ea ſententiâ probatur Fabretto Inſcr. Domeſt. Cap. IV. pag. 301. , qui Auguſtos non Archiatris , ſed Medicis uſos fuiſſe, ex pluribus Inſcriptionibus obſervat: Accedit , quod Fabrettum prætermiſiſſe miror , non Romani , ſeu Conſtantinopolitani , ſed Municipalis Archiatri memoriam exſtare in vetuſto marmore Polæ in Illyrico in Grutero pag. DCXXXII. 5. cui addimus nunc ex Inſcriptione noſtrâ Piſaurenſem Archiatrum. Ea vero, quæ de Archiatris Fabrettus attulit, haud meliora mihi videntur; ſcribit enim Archiatros, vel Medicos abſolute eos ferme dictos fuiſſe , qui non Medici partiales eſſent, ut Ocularii, Clinici, Chirurgi, ſed univerſam medicinam callerent, & exercerent; quum Archiatri a Medicis expreſſe diſtinguantur in l. 6. C. *de Profeſſor.* ibi *Medicos, & maxime Archiatros* . Ego vero, ſi poſt tantos viros ſententiam meam proferre mihi fas ſit, exiſtimo, *Medicos* dictos fuiſſe illos, qui medicinam ſuo periculo exercebant , quos hodie *Me-*

*dici*

Digitized by Google

*dici Venturieri* appellamus, *Archiatros* vero, qui a Decurionibus electi ſalario publico honorabantur. Enimvero in duabus legibus 9. & 10. ejuſdem tit. Codicis, in quibus de Medicis ab ordine Decurionum lectis ſeu legendis agitur, Archiatri ſemper dicuntur l. 9. *Archiatri ſcientes annonaria ſibi commoda a Populi commodis miniſtrari &c.* l. 10. *Si quis in Archiatri defuncti locum eſt promotionis meritis aggregandus.* Plures enim Medicos in quaque Urbe fuiſſe, quam qui ab ordine conducebantur, docet Juſtinianus in §. *item Romæ* 15. Inſt. tit. *de excuſat.* ubi eos ſolum Medicos, Grammaticos, Rhetores a ſuſcipiendâ tutelâ excuſari vult, qui *intra numerum ſunt.*

PERITISSIMO. In MSS. Collectione Inſcriptionum Piſaurenſium, quam Pompejus Compagnonius Vir doctiſſimus poſſidet, additur ET RARISSIMO.

ET OBSEQVIIS SVIS OMNIBVS AMANTISSIMO. Præcipua laus medicorum; illis enim expreſſe ab Imp. injungitur ut *ſcientes annonaria ſibi commoda a populi commodis miniſtrari, honeſte obſequi tenuioribus malint, quam turpiter ſervire divitibus.*

## L X V.

GRuterus edidit pag. DCLXXIV. 11. Cippus effoſus fuit anno 1612. ut n. VIII. diximus. Dimidiatum eſſe apparet: in ſuperiori parte, quæ deeſt, erat olim fortaſſe nomen filiorum, quibus Calpurnia mater dolens & mœrens monumentum poſuit.

## L X V I.

T. F. *Titi Filius*, ſeu potius *Titulum Fecit.*

ET FAMILIAE. Servis nempe, qui familiæ nomine veniunt l. 2. § 14. Ver. *familiæ* ff *Vi bonor. raptor.*

## L X V I I.

ANſas, quibus ſepulcrales Inſcriptiones ornabantur, illuſtrat eruditiſſimus P. Lupi in Commentario S. Severæ § VIII., quem vide.



Digitized by Google

## LXVIII.

ANno MDCIV. in agro Tumbeſiorum ad viam Flaminiam mutila hæc Inſcriptio effoſſa fuit, in qua ante ſervile nomen NOETO, gentilitium *Arenii* nomen fuiſſe facile intelligitur. Collectio MS. quam modo laudavi, V. Cl. Pompeii Compagnonii in fronte Inſcriptionis habet de more ſingulares notas D. M.

## LXIX.

PLures hanc Inſcriptionem ediderunt, ſed adeo loco diſcrepant, ut vel ex hoc intelligere facile poſſimus quantum in illis deſcribendis Inſcriptionum Collectores erraverint. Poſt Jo: Baptiſtam Egnatium in Annot. ad Capitolin. vulgavit Appianus & *Patavii ad Fanum Fortunæ* extare ſcribit; quæ monſtra? In Monumentis clarorum Virorum operâ Tobiæ Fendt Francfurti ad Mænum editis *Patavii* eſſe dicitur. Gruterus ex Appiano & Panvinio p. CCCLXIX. 2. *Fani Fortunæ in litore Hadriatico* ſpectari tradit. Boiſſardus *Romæ*. Unus Manutius in Orthographia v. *Proconſul* n. 15. recte *Piſauri ad DD. Decentii & Germani* eam collocat; in eâ enim Eccleſiâ viſitur etiamnum præclara Inſcriptio ingenti Sarcophago inſculpta, cui hinc atque inde incumbunt duo genioli facem inverſam in mœſtitiæ ſignum tenentes: latera vero anaglypho opere expreſſis icunculis ornantur, quas inciſas hic damus; rem enim pergratam facturum me ſpero eruditis omnibus, ſi antiqui Ciſii, ſeu Ciſſii iconem, quo vehiculi genere maxime nunc utimur, & *Caleſſe* appellamus, illorum oculis ſubjecero. Frontem quoque Sarcophagi exprimendam curaſſem, ſi fieri id potuiſſet; verum eâ ad murum obverſâ in illius Eccleſiæ martyrio, ſeu caracumba inferiori, haud parum fuit Inſcriptionem diligenter excipere.



Digitized by Google







Digitized by Google

In editis exemplaribus varietates aliquæ deprehenduntur, quas ſingillatim notare omiſi, illud teſtatus editionem noſtram accuratiſſimam eſſe.

Ut aliqua de clariſſimis Viris, qui in hâc Inſcriptione memorantur, ordine notemus, erit e re illorum ſtemma proponere.

1. *M. Cornelius Fronto*
*Orator & Coſ.*
|
*Cornelia* ——————— 2. *Aufidius Victorinus Præfectus Urbi, bis Conſul.*
|
3. *Fronto, Conſul.*
|
4. *M. Aufidius Fronto, cui monumentum poſitum eſt.*

Non ſum neſcius aliter ſenſiſſe doctiſſimum Virum Antonium Auguſtinum, qui in libello de familiis Romanis Tom. VII. Antiq. Roman. Edit. Venet. pag. 1193. hæc habet. *Eodem anno M. Cornelius Fronto II. Coſ. cum Fabio Poſtumo ex Kal. Juliis; Coſ. III. fuit cum Trajano Coſ. III.* (errat Auguſtinus cum Panvinio, ut mox dicam) *Hujus filius M. Cornelius Fronto Orator & Coſ. Magiſter fuit Impp. Antonini & Lucii; ejus etiam Nepos Fronto Coſ. fuit, qui ex Aufidiâ Aufidii Victorini Præfecti Urbi, & bis Coſ. filiâ M. Frontonem procreavit.* Ex illius itaque ſententiâ ita diſponendum eſſet ſtemma:

*M. Cornelius Fronto*
*Orator & Coſ.*
|
*Cornelius alter incertus.* — *Aufidius Victorinus Præfectus Urbi bis Conſul.*
| — |
*Fronto Conſul.* ——————— *Aufidia.*
|
*M. Aufidius Fronto, cui monumentum poſitum eſt.*

Verum ne doctiſſimi Viri ſententiam ſequar, duo ſunt in cauſsâ. Primum enim haudquaquam veroſimile videtur in recenſendis Aufidii Frontonis majoribus poſt paternum abavum, paterno avo neglecto, maternum avum poſitum fuiſſe; deinde Frontonem Conſulem ab Aufidio Victorino ſocero adoptatum neceſſe eſſet ſupponere, qui enim abſque adoptione ex Corneliâ in Aufidiam gentem tranſire potuit? Ordi-

Ordinem, quem ſupra ſtatuimus, perturbat litera S, quâ lin. 6. ſcribitur NEPOTIS loco NEPOTI. Verum adeo noti ſunt, ut oſtendam, viri iſti, ut procul dubio, ne duabus ferme ætatibus nepotem avo vetuſtiorem faciamus, eam literam marmorarii errore abundare dicendum ſit.

I. M. Cornelius Fronto ſummus fuit ſui ævi orator, ita ut ad erudiendos ipſos M. Antoninum & L. Verum Auguſtos potiſſimum lectus fuerit, quod præter hanc Inſcriptionem teſtatur etiam Capitolinus in Vitâ M. Antonini: *Oratoribus uſus eſt Græcis Annio Macro, Caninio Celere, & Herode Attico: Latino Frontone Cornelio*, & in L. Veri vitâ: *Audivit . . . Rhetores Apollonium, Celerem Caninium, Herodem Atticum, Latinum Cornelium Frontonem*. Peculiari quidam, præclarâ licet, ſiccitate adeo claruit, ut illi præcipue dicendi ſiccitas adſignetur. Macrob. Sat. lib. V. cap. 1. *Quatuor ſunt, inquit Euſebius, genera dicendi; copioſum, in quo Cicero dominatur: breve, in quo Salluſtius regnat: ſiccum, quod Frontoni adſcribitur: pingue & floridum, in quo Plinius Secundus quondam, & nunc nullo veterum minor noſter Symmachus luxuriatur*. Hinc magno apud omnes fuit in honore, præſertim vero apud M. Antoninum Aug. ut idem Capitolinus tradit: *Sed multum ex his* (ſuis nempe præceptoribus) *Frontoni detulit, cui & ſtatuam in Senatu petiit:* Neque vero Principis in Frontonem liberalitas hic ſtetit: eum enim Conſulatu etiam inſignivit, ut Inſcriptio noſtra teſtatur, & Auſonius in Paneg. cujus locus modo erit adducendus. Conſulatum Frontonis doctiſſimus Panvinius A. U. DCCCLIII. aſſignavit loco Frontini illius, qui de Aquæductibus elegantiſſime ſcripſit: errorem detexit Emus Noriſius in Epiſtola Conſulari, cujus modo verba, quibus de Frontonis noſtri Conſulatu agitur, integre de more deſcribimus. *At M. Cornelius Fronto Orator nobiliſſimus, atque M. Aurelii Antonini magiſter, fuit ſemel tantum Conſul, & quidem ſuffectus. Audiatur Conſul Auſonius in Paneg.* Unica mihi, *inquit*, amplectenda eſt Frontonis imitatio, quem tamen Auguſti Magiſtrum ſic Conſulatus ornavit, ut Præfectura non cingeret; ſed Conſulatus ille cujuſmodi? Ordinario ſuffectus, bimeſtri ſpatio interpoſitus, in ſextâ anni parte conſumptus, quærendum ut reliquerit tantus Orator, quibus Conſulibus geſſerit Conſulatum: *Et ſtatim*. Non ego me contendo Frontoni, ſed Antonino præfero Gratianum. *Hinc in poſitâ Inſcriptione M. Cornelius Fronto dicitur tantum Conſul ſine ullâ iterati Conſula-*

tus

*tus notâ*. *Ex his patet Panvinii error*, *dum M. Cornelium Frontonem Oratorem*, *ac Magiſtrum M. Antonini fingit Conſulem III. anno ſecundo Imperii Auguſtai Trajani*, *quum ille unicum*, *bimeſtrem*, *eumque ſuffectum Conſulatum anno incerto geſſerit*. Hæc Noriſius. Porro quo tempore Conſulatum hunc ſuffectum geſſerit M. Cornelius Fronto Orator, haudquaquam facile eſt ſtatuere. Scaliger in Indice Gruteriano Cap. XXIII. pag. CLXI. anno U. C. DCCCLII. Conſulem ſuffectum fuiſſe Frontonem arbitratur; ſed hoc falſum eſt: conſtat enim ex Auſonio Frontoni a M. Antonino Conſulatum delatum, quem tamen anno U. C. CMXV. imperare cœpiſſe ſcimus. Primis itaque M. Antonini annis exiſtimo Cornelium Frontonem ſuffectum conſulatum geſſiſſe, & fortaſſe, ni mea me conjectura fallit, Collega Candido, quod Conſulum Collegium occurrit in veteri Inſcriptione apud Grut. pag. DCCCCLXVIII. 17. in quâ *Clodia Trophima uxori ſanctiſſima* NON. MAIAS FRONTONE ET CANDIDO COS *C. Clodius Laſcivos* monumentum poſuit. Quod ſi annum quoque divinare licet, profecto annum U. C. DCCCCXVII. quo Conſulatum geſſerunt ordinarium Q. Noriſius Macrinus, & Celſus, innuere videtur Caſſiodorius in Chronico; Scribit enim ed eum annum: *His Coſſ. Fronto Orator inſignis habetur*, *qui M. Antoninum latinis literis erudivit*, quæ verba, niſi de Conſulatu Frontoni ab Antonino delato intelligantur, quid ſignificare poſſint, non video.

II. Aufidius Victorinus Præfectus Urbi, & bis Conſul fuit. Præfectura Urbi memoratur etiam in Excerpt. Valeſian. p. 727. *Aufidio Victorino*, *qui Præfectus Urbis fuerat*, *mortuo ſtatua poſita*; geſſit eam ſub Commodo, qui, ut ait Lampridius in ejus vita, *Præfectos Urbi eâdem facilitate mutavit*, vel potius ſub Marco (*) Primum ex Conſulatibus ſuffectum fuiſſe facile

(*) *Aufidium Victorinum Præfectura urbana a D. Marco inſignitum fuiſſe non a Commodo exiſtimat Vir undequaque clariſſimus*, *deque univerſa literaria republica optime meritus*, *Apoſtolus Zenius*; *literarum quibus ſententiam mihi ſuam amiciſſime ſignificavit*, *partem lubens hic deſcribo*: *glorior enim tanti Viri nomine*, *ſtriptiſque has qualescumque notas illuſtrare*. Sempre più ſono perſuaſo a credere, che Aufidio Vittorino riceveſſe da M. Aurelio l' onore della Prefettura urbana, e non da Commodo, poichè queſti nel bel principio del ſuo Impero, anzi che valerſi del conſiglio de' Senatori dabbene, a' quali il Padre lo aveva raccomandato, aſſegnandoglieli come in tutori, praticò varie ſtrade per torſegli dal fianco, e di vita; onde Dione laſciò ſcritto, o piuttoſto il ſuo epitomatore Sifilino *lib. LXXII. p.* 818. che poſe a morte *maxime eos omnes fere*, *qui & Patris temporibus & ſuis florentes erant*, *præter Pompejanum Pertinacem*, *& Victorinum*: dell' ultimo de' quali ſi ſtette ſempre in timore per tutta Roma, che di giorno in giorno foſſe fatto morire, ſiccome avete chiaramente raccolto dal paſſo dell' *Excerpta Valeſiana*. Erodiano *lib. I.* racconta; che Perennio, il quale dominava interamente l' animo di Commodo,

le mihi perſuadeo, quum nulla illius in Faſtis Conſularibus memoria exſtet; verum ſub M. Antonino illum geſſiſſe haud temere arbitror: fuit enim Aufidius Antonini condiſcipulus, eique in primis amicus: Capitol. in ejus vit. *amavitque ex condiſcipulis præcipuos Senatorii ordinis Sejum Fuſcianum & Aufidium Victorinum:* in excerpt. Valeſ. loco cit. *quamvis a Divo Marco unice cultus;* & expeditioni in Cattos ab eodem præfectus: Capitol. ib. *& adverſus Britannos quidem Calpurnius Agricola miſſus eſt, contra Cattos Aufidius Victorinus;* in iiſdem excerpt. *Quum aliquando Germaniæ præeſſet;* fortaſſe etiam Proconſul Africæ deſignatus: hanc enim Provinciam illum etiam adminiſtraſſe teſtatur Dio in iiſdem excerpt. *idem poſtea quum Africæ Proconſul eſſet;* Alterum porro, quem collega Commodo Aug. IV. geſſit, præter Faſtos memorat vetus Inſcriptio Gruter. pag. XXXV. 1. cujus priores quatuor verſus repetuntur pag. CXXIX. 6. Audiendus Emus Noriſius, qui in eadem Epiſtola Conſulari hæc habet. *A. U. C. DCCCCXXXVI. Chriſti CLXXXIII. Conſules ex Panvinio deſcribuntur Commodus Aug. IV. & M. Aufidius Victorinus. Deficit Victorino nota alterius Conſulatus. Gruter. pag. XXXV. 1. dicitur ara Soli dicata*

IMP . COMMODO . AVG . PIO . FELICE IIII

ET VICTORINO II COS.

Aufidii Victorini mortem, abſtinentiamque commendat Dio lib. LXXII.

modo, uomo avariſſimo, e per conſeguenza iniquo, e crudele, *adoleſcentis* (Commodi) *ætate abutens . . . & paternos Commodi amicos calumniis premere, & locupletiſſimum quemque nobiliſſimumque in ſuſpicionem adducere inſtitit, ſcilicet ut perterrefacto adoleſcente, atque illis ſupplicio affectis, cauſſam poteſtatemque ipſe haberet in eorum bona, & fortunas invadendi;* e più ſotto: lo ſteſſo Perennio perſuaſe a Commodo *ut præcipuum quemque ſuccideret, neque eminere quempiam pateretur,* e in tal modo *ſublatis e medio, quos Imperator verebatur, quique illum paterno quodam affectu complectebantur,* rimaſe con più di autorità nel governo, e ne diſpoſe con più licenza, e con men di timore, facendo promuovere alle dignità principali e dentro, e fuori di Roma perſone inesperte, vili, ſcapeſtrate, e qual lui malvagie, ed inique; e da tali arti ſedotto il giovane Imperadore *patris miniſteria ſeniora ſubmovit,* dice Lampridio, *amicos ſenes abjecit.* Vedete poi tanto in qual guiſa Aufidio Vittorino Senatore di tanto ſenno, e di tanto merito ſarebbe ſtato innalzato al poſto della Prefettura Urbana in un tempo così miſerabile per le perſone dabbene, e di ſperienza, e ſenno guarnite. Vero è, che Aufidio Vittorino ebbe il ſecondo Conſolato da Commodo l'anno III. del ſuo Impero, e dell' era volgare CLXXXIII. Ma voi ſapete, che tal dignità era in que' tempi anzi di onore, che di autorità. Le due cariche più autorevoli in Roma erano la Prefettura del Pretorio, e la Urbana. Queſta fu eſercitata da Vittorino avanti il Conſolato II., e però ſempre a mio credere ſotto M. Aurelio; onde nella voſtra Iſcrizione leggeſi *Aufidius Victorinus Præfectus Urbi,* eppoi *II. Coſ.*

Digitized by Google

LXXII. in excerpt. Valeſian. p. 727. 728., cujus locum, membratim laudatum, integrum exhibeo. *Aufidio Victorino, qui Præfectus Urbis fuerat, mortuo ſtatua poſita eſt. Deceſſit autem non ex inſidiis ille quidem; tametſi quum crebri quotidie rumores de ejus cæde vulgarentur, ipſe aliquando ſumpta audacia ad Perennem ultro veniſſet; &, audio, inquit, vobis in animo eſſe, me ut occidatis; quid igitur cunctamini? quid differtis, quum id vobis hodierno die jam liceat? Verum tamen id quoque ei ceſſit impune: obiit enim ſua morte, quamvis a Divo Marco unice cultus, & virtute, atque eloquentia nulli ſui temporis ſecundus fuiſſet. Ex uno autem, atque altero exemplo ejus viri mores cognoſcere facillimum fuerit. Quum aliquando Germaniæ praeſſet, primo quidem domi remotis arbitris conatus eſt perſuadere legato ſuo, ut a capiendis muneribus abſtineret: quumque is non pareret, ipſe in tribunal conſcendit, juſſoque præcone ut ſe citaret, juravit ſe numquam munus accepiſſe, neque porro accepturum, quoad viveret; mox legatum ſimiliter citari juſſit ad juſjurandum, qui quum pejerare nollet, Victorinus eum protinus provincia excedere coegit. Idem poſtea, quum Africæ Proconſul eſſet, unum ex legatis ſimilem illius de quo mox diximus, non eodem quidem modo excepit, ſed navigio impoſito Romam remiſit.*

Nullum prænomen habet Aufidius Victorinus in his Inſcriptionibus. *Lucium* dictum fuiſſe ex vetuſtis membranis ſcripſit Caſaubonus in notis ad Capitol. in Vit. M. Antonin. Quidam *Cajum*, qui tamen cum hoc confundere videntur C. Aufidium Victorinum minorem ejus filium, qui anno poſt M. Aufidium Frontonem fratrem Conſul fuit cum Ti Claudio Severo, anno nempe U. C. CMLIII. ut habent Faſti Conſulares, & vetuſtæ Inſcriptiones. Contra Panvinius & Noriſius *Marcum*, quod verius puto, deſcripto enim M. Aufidii Frontonis prænomine, reliqua omnia omittuntur idcirco, quod eadem eſſent, ut alias monuimus; V. not. XLIII. Porro M. Aufidius Victorinus Cornelii Frontonis Oratoris filiam, ipſo fortaſſe M. Antonino Aug. qui utrumque diligebat conciliatore, duxiſſe inde deprehenditur, quod ejuſdem nepos Aufidius Fronto, Cornelii Frontonis pronepos dicitur: hinc cum ea femina in Aufidiam gentem Frontonis cognomen tranſiiſſe deprehendimus, nam T. illum Aufidium quem ex l. *& non tantum* 19. § *6.* ff. *de hered. petit.* Conſulem ſuffectum producit Panvinius A. U. DCCCLXXXII., de ſuo ingenio *Frontonem* laudatus Scriptor appellat, quum Ulpianus pure in eâ lege *T.*

*Aufi-*

Digitized by Google

*Auſidium* dixerit; imo *Titium Auſidium*; Ex quo facile ſuſpicari quis poſſit, Corneliam Oratoris filiam patris hereditatem univerſam viro ſuo intuliſſe: vix enim veroſimile videtur, ſi Cornelio filii, aut nepotes ſuperfuiſſent, ad quos propius illius laus pertinuiſſet, M. Aufidium Frontonem in Inſcriptione noſtra Cornelii pronepotem dictum fuiſſe.

III. Fronto, ſeu M. Aufidius Fronto Conſul, qui M. Aufidio Frontoni filio monumentum hoc poſuit, Conſulatum geſſit A. U. C. CMLII. Collega P. Cornelio Annulino II, quod Collegium celebre eſt: & in antiquis Inſcriptionibus, & in legibus Imperatoriis ſæpiſſime memoratur. An eo anno, quo Conſul fuit, filium amiſerit, eique Inſcriptionem poſuerit, incertum; ſcimus enim in vetuſtis Inſcriptionibus etiam eos, qui Conſulatum geſſerint, non Conſulares, ut mos vetus erat, ſed Conſules dici.

Duo nunc ſuperſunt monenda. Primum Aufidios hos (ſi conjecturis uti licet) Piſaurenſes fuiſſe, Coloniæque olim facile principes, ut ex Inſcriptione C. Aufidii n. XXXIV. conſtat: Romam inde translatos, ibidem Præfectura Urbi, pluribuſque Conſulatibus inclaruiſſe. Deinde Inſcriptionem hanc a Boiſſardo, qui Romæ illam eſſe ſcribit, aræ inſculptam repræſentari; inde ſuſpicari poſſumus Aufidium Frontonem Conſulem filio ſuo Piſauri, ubi diem clauſit, ſepulchralem urnam poſuiſſe Inſcriptione, quam dedimus, inſignem; eamdem vero Inſcriptionem Romæ in arâ ad dulciſſimi filii memoriam amplificandam conſtituiſſe.

## L X X.

INeptam hanc ſcribendi rationem punctis poſt unamquamque ſyllabam interpoſitis in uſu olim fuiſſe vetuſtæ teſtantur Inſcriptiones, quas vide in Fabrett. de Col. Trajan. cap. VIII. p. 258. & Inſcript. Dom. cap. V. p. 374. & in elegantiſſimâ Diſſertatione ad S. Severæ Mart. Epitaphium § X.

SP. F. Patet hinc Aurelium, vel in ſervili contubernio, vel extra legitimum matrimonium a Chabitione ſuſceptum: tales enim homines Spurii filii dicebantur. V. Fabrett. Inſcript. Domeſticar. Capit. I. pag. 46.



Digitized by Google

## L X X I.

INſcriptionem hanc Anno MDCXXVII. dum quidam Cathedralis Eccleſiæ ſtylobates reficeretur, erutam vulgavit Fabrettus Inſcr. Domeſt. Cap. IX. n. 207.

## L X X I I.

M. Antonius de Gozze apud DD. de Æmiliis in ſuâ Collectione exſtitiſſe teſtatur. Gruterus habet pag. DCXCIII. 11. *Romæ apud Carpenſem in arâ marmoreâ: in Tympano ſunt carduus, flores, & cornua copiæ: Subtus Genii duo in cornibus copiæ ſtantes ſertum prætendunt, in quo tertius Genius grypho in piſtricem deſinenti inſidet. Vidit Smetius, Boiſſar. Tom. IV.* 88. Mirabitur hinc aliquis inter Piſaurenſia marmora locum huic nos feciſſe. Verum lapis periit; Romæ aduectum fuiſſe nemo tradit; In deſcribendis Inſcriptionum locis nimium quantum errant Editores. Si quis tamen Romanam eſſe Inſcriptionem contendit, per me licet.

## L X X I I I.

APianus Inſcriptionem hanc Piſauri exſtare ſcribit; deeſt tamen in omnibus noſtris collectionibus. Enimvero numquam Piſauri exſtitiſſe puto, & falſum fuiſſe Apianum arbitror, quod non ſemel in antiquarum Inſcriptionum locis indicandis accidiſſe dolui. Bis in Grutero edita eſt. Primum pag. DCV. 8. ex Urſini MS. & exſtare dicitur *ad D. Petri in Vaticano;* deeſt in eo exemplari PETRONIA NICE, aliæque varietates occurrunt, quas hic adnotare operæ pretium non eſſet: iterum pag. DCLXVII. 1. e Mazochio & Verderianis *Romæ in Domo Bernardini della Valle*. Hoc Gruteri exemplar prætulimus; ut autem liberum ſit cuique judicium en illud, quod Apianus vulgavit.

D.M

Digitized by Google

D . M
PETRONIA NITE ET ALCIBIADES
ALCIBIADI FIL . DVLCISSIMO ET
DESIDERANTISSIMO CVIVS
MORS DECEPIT PATREM SVVM
Q . V . A . XX . M . VII . D . XX . ET
IVCVNDAE MATRI EIVS CVM QVA
VIX . A . XV . ET FELIDAE ALVMN
SVAE Q . V . A . VI . M . VI . B . M . FECER
SIBI ET SVIS POST . EORVM

## L X X I V.

ELegantiſſimam Inſcriptionem a C. Petronio Hilaro, Petronio Antigendi filio & liberto ſuo poſitam tot ediderunt, ut longum eſſe illorum Catalogum recitare. Ea olim exſtabat in Ædibus Viri doctiſſimi, Civiſque Clariſſimi Pandulphi Collenutii, ut M. Antonii Gozzei Collectio, cujus lectionem ſequuti ſumus, teſtatur, & Gruterus innuit pag. CML. 7. *Piſauri in Æde Pandulphi*. Poſt Collenutios in Pardiorum manus perveniſſe fama eſt. An Fabrettus, qui Gruteri editionem emendavit, autographum viderit umquam, haud ſcio; Profecto lapis aut periit, aut domino etiam ignotus latet. Quum igitur non licuerit Inſcriptionem ex ipſo marmore excipere, variantes lectiones, quas in editis exemplaribus & MSS. animadverti, ſuis locis indicabo.

PETRONII ANTIGENIDIS. Ita Gruterus, & tres MSS. Codices. Fabrettus emendat PETRONIO AMTIGENIDI. Petronius Antigenis Petronii Hilari filius, & libertus ab erudito patre optimis diſciplinis imbutus magnam omnibus ſui ſpem fecerat; Verum decimo ipſo ætatis anno acerbâ morte abreptus, a parente amantiſſimo hoc Epitaphio laudatur.

STRICTO *pede*; fortaſſe ſuſpenſo ob venerationem, quâ per loca religioſa quis graditur; aut etiam, ac forte meliùs, ad denotandum Viatoris prætereuntis impetum

VADIS. Ita Gruterus & MSS. Codd. Fabrettus vero PERGIS.

SENTA. Sentus Donato eſt *horridus*. Terent. Eunuch. Act. II. Sc. 2.

*Video ſentum, ſqualliduma, ægrum, pannis, anniſque obſitum.*
Virgil. Æneid. VI. 93.

*loca ſenta ſitu.*

recte igitur *ſenta* dicuntur loca ſepulchris plena. Unus MS. Codex habet SANCTA, quod quidem haud plane rejiciendum. Sancta enim Sepulchra, propter quæ Viator graditur, dici poſſunt, non ſolum quia religioſa, ſed etiam quia ſanctione publica, itidem ut mœnia, magiſtratus, aliæque ſanctæ res, adverſus impiorum injurias defenſa ſunt, ut patet ex legibus ff. & Cod. de Sepulch. Violat.

TITVLVMQ. MEVM. Ita propriæ dicebantur ſepulchrales Inſcriptiones. Vid. Fabrett. Inſcr. Dom. cap. I. in pr.

BIS QVINOS ANNOS. Eleganter decem anni ita denotantur & in Ravennati Inſcriptione nuper detectâ, licet nullâ metri ratione urgente.

AVRELIAE
REDEMPTAE
CONIVGI INCOMP.
CVM Q. V. BIS QVINOS
ANNOS SINE VLLA
QVERELLA BENEME

Decennis igitur Petronius Antigenis deceſſit; Verum ita fuit naturæ muneribus ornatus, ut philoſophicas, & mathematicas diſciplinas id ætatis perceperit, &, quod caput eſt, elegantiſſima carmina ſcripſerit, in Petronianis ſæpius edita; ex quibus, quum

Digitized by Google

quum appareat, quantum illi ingenii fuerit, quantumque gloriæ & nominis, Patriæ attuliſſet, ſi longiorem vitam produxiſſet, libet ea iterum hic deſcribere, ut eruditiſſimi Civis Opera, quantum ſitum eſt in nobis, in dies magis innoteſcant.

## PETRONII ANTIGENIDIS PISAURENSIS

## CARMINA. (*)

### *I. De Literarum Æternitate ad Appiam.*

Hæc Urbem circa, ſtulti monimenta laboris,
  Quaſque vides moles, Appia, marmoreas:
Pyramidaſque auſas vicinum attingere Cœlum,
  Pyramidas, medio quas fugit umbra die:
Et Mauſoleum miſeræ ſolatia mortis,
  Intulit æternum quo Cleopatra virum:
Concutiet, ſternetque dies: quoque altius exſtat,
  Quodque opus, hoc illud carpet, edetque magis.
Carmina ſola carent fato, mortemque repellunt;
  Carminibus vives ſemper, Homere, tuis.

### *II. De Achille.*

Cauta quidem Genetrix, noceant ne vulnera nato,
  Confirmat Stygio fonte puerperium;
Sed quia fas nulli eſt humanam vincere ſortem
  In membris tincti dant ſibi fata locum.

### *III. De Telepho.*

Telephus, excellens Alcidæ pignus, & Augæ,
  Externæ ſortis bella inopina tulit.
Nam Graii Trojam peterent quum mille carinis,
  Tangeret & claſſis litus adacta ſuum;
Occurrens Danais, forti dum pugnat Achilli,
(**) Syria pugnanti percutit haſta femur.
Pro cujus curâ conſultus dixit Apollo,
  Hoſtica quod ſalubrem cuſpis haberet opem.

Mox

(*) *Ex editione Petronii Amſtelodamenſi 1669. Typis Joannis Blaeu.*

(**) *Peſſime; neque enim id carminis leges patiuntur, neque Achillis patria; fortaſſe* Pyrria *ita enim antiquitus dicebatur Theſſalia.*

Digitized by Google

Moх precibus flexi Pelidæ robore (*) ſacro
  Injecto membris pulvere plaga fuit.
Monſtrant Fata Viri vario miracula caſu:
  Unde datum eſt vulnus, contigit inde ſalus.

*IV. In Xerſem.*

Perſes magnus adeſt: totus comitatur euntem
  Orbis: quid dubitas Græcia ferre jugum?
Mundus juſſa facit: Solem texere ſagittæ:
  Calcatur Pontus: fluctuat altus Athos.

*V. Item.*

Hic, quem cernis, Athos immiſſis pervius undis,
  Flexibus obliquis circumeundus erat:
Accepit magno deductum Nerea fluctu,
  Perque latus miſit maxima bella ſuum.
Sub tanto ſubitæ ſonuerunt pondere claſſes,
  Ceruleus canâ ſub nive Pontus erat.
Idem commiſit longo duo litora ponte
  Perſes, & fecit per mare miles iter.
Quale fuit regnum? Mundo nova ponere jura;
  Hoc terræ fiant, hac mare, dixit, eat.

Vellem profecto ſingulare id fuiſſet in Piſaurenſi puero, ut gloriolam aliquam inde Patriæ aucuparer. Sed ne fidem adimam, ſimilia puerilis ingenii portenta non gravate indicabo. *L. Valerius L. F. Pudens*, cujus elogium recitat Gruter. pag. CCCXXII. 3. CVM ESSET ANNORVM XIII. ROMAE CERTAMINE IOVIS CAPITOLINI LVSTRO SEXTO CLARITATE INGENII CORONATVS EST INTER POETAS LATINOS OMNIBVS SENTENTIIS IVDICVM. *Boetius* Eugenii Notarii Filius obiit annos natus XI. M. VIIII. D. XXIII. tamen in Inſcriptione a Fabretto editâ Inſcr. Dom. Cap. III. n. 447. ita a Parente celebratur

TE EORALE DECVS PRIMO CVM CARMINE CEPTO
DOCTOREM DOCTOR VIDIT ET OBSTIPVIT.

Auſo-

(*) *Ut verſibus ſuus ſenſus conſtet, ita emendandum hunc locum cenſeo*, mox precibus flex Pelidæ e robore ſana. *Sed plenius hæc excutientur in libello de Viris Illuſtribus Piſaurenſibus*

Auſonius in Profeſſ. Burdigal. n. 5. *Atticum Tironem Delphidium* Rhetorem ob id maxime commendat.

*Tu pene ab ipſius orſus incunabulis*
*Dei Poeta nobilis*
*Sertum corona præferens Olimpia*
*Puer celebraſti Jovem.*

Sed reliquam Inſcriptionem proſequamur.

IN SVPEROS. Gruterus & MSS. omnes. Fabrettus emendat SVPERIS.

SIVE QVOT EVCLIDES. Gruterus & unus MS. Codex. Fabrettus QVOS, reliqui MSS. Codd. QVOD.

PRAESCRIPTA. Gruterus & MSS. Codd. horum tamen unus PRAECEPTA.

LVSVSQVE PROCACES, ita Gruterus, & unus Cod. MS; alii quidam habent CONESQVE, quod quidnam ſit, neſcio; quidam IOCOSQVE.

HAEC HILARVS. Ita Gruterus, Editiones Petronianæ, & M. Antonii Gozzei Collectio.. Fabrettus habet HYARVS. reliqui MSS. Codd. IRRVS.

PATER IPSE PATRONVS. Hinc patet Petronium Antigenidem filium, libertumque fuiſſe Petronii Hilari; ſuſceperat nimirum hunc Hilarus ex ancillâ, & poſtea manumiſerat, ac proinde dicitur *Pater ipſe Patronus* nempe *idemque Patronus*. Fabrettus legit PATER ATQVE PATRONVS, quod in Inſcr.idem recidit. De filiis, iiſdemque libertis V. Fabrett. Dom. Cap. I. pag. 7. & 45. ubi hos filios, naturales aliquando vocatos animadvertit. V. Not. LXXXIII.

HABVISSEM. Gruterus. MSS. Cod. HABVISSET. Utrumque recte: habuit enim fata contraria Antigenis, qui in ipſo ætatis flore ereptus fuit; habuit & Hilarus, qui dulciſſimum filium poſtquam tot curas tot labores in eo erudiendo impendiſſet, derepente amiſit.

NVNC VERO INFERNAS. Gruterus; & metri ratio poſtulare videtur. MSS. tamen Codd. habent NVNC VERO AD INFERNAS SEDES &c. ita & Fabrettus.

SIDERA. Fabrettus SYDERA item MSS. Codd. De his Virgil. VI. Æneid.

*Largior his campos æther & lumine veſtit*
*Purpureo, ſolemque ſuum, ſua ſydera norunt.*

TVMIDAM. Gruterus & unus MS. Codex, alii TIMIDAM.

HAEC

Digitized by Google

HAEC DOMVS AETERNA EST. Domum Æternam appellatum ſæpenumero ſepulchrum vidimus, non ſolum a Chriſtianis, quod luculenter oſtendit Fabret. Inſcr. Dom. Cap. II. pag. 113. verum etiam ab Ethnicis, ut ex innumeris propemodum conſtat Inſcriptionibus, quas in Indicibus, Scaligeriano præſertim cumulatas vide. In Inſcriptione Fanenſi apud Fabrett. Inſ. Dom. Cap. II. 96. legitur

HIC IACET AETERNA SABIS HVMATA DOMV.

CERTAM DOMVM appellat Pędagogus apud. Gruter. p. DLXXXV. 10. in elegantiſſimis verſiculis, quibus puerum ſuum alloquitur.

HAEC SVNT PARVE TVAE MEÆQVE SEDES

HAEC CERTA EST DOMVS HAEC COLENDA NOBIS.

* LXXXVIII.

SEbaſtianus Maccius de Portu Piſauri lib. I. Cap. XIII. & XVII. Inſcriptionem hanc ex Ædibus Pardiorum vulgavit; Deeſt tamen in MSS. Collectionibus meis, quæ Maccio aut ſuperiores ſunt, aut certe æquales; neque id mirum: quivis enim facile perſpiciet eam purum putum vel Maccii, vel alterius cujuſpiam (ne Maccio ſubiratus videar) figmentum eſſe, quo L. Accium Tragœdorum principem Piſaurenſem fuiſſe demonſtrarent, quod ex Euſebio in Chron. parum illis conſtare videbatur. Nollem rem libello de Viris Illuſtribus Piſaurenſibus reſervatam hic pertractare; Illud tamen in præſentia profitendum duxi, ſatis conſtare L. Accium, Piſaurenſem fuiſſe, neque fictitiis Inſcriptionibus ad id opus nobis eſſe. Fundum Accianum, qui ibidem ab Euſebio memoratur, exhibent & binæ fictiles Lucernæ duobus ab hinc annis in arcâ Sepulchrali ad D. Marinæ detectæ, quæ nunc in locupletiſſimo antiquarum Lucernarum amiciſſimi Viri Jo. Baptiſtæ Paſſerii J. C. Theſauro ſervantur, in quarum ambarum fundo legitur.

AC-

Digitized by Google

(*) ACCIANA
P.SATRI.C.F.
CAM

Sed ut ad Inſcriptionem revertamur, illius νοθεία evidens eſt; Licet enim frequenter *Coloni Coloniæ* in antiquis Inſcriptionibus occurrant, omni tamen caret exemplo vetuſtatis Colonus hic Piſaurenſis, qui nude *Piſaurenſis*, vel *Patria*, vel *domo Piſauro* dici debuerat. Quod ſi eam ad L. Accii Tragœdi tempora referremus, quis orthographiæ normam ferat? quis comparatâ hâc cum illius ævi Inſcriptionibus, monſtrum eſſe non exclamet? Quid demum de Lucretiâ Flaviâ dicendum erit? Sed nugas has nugaciſſimas relinquamus.

## L X X I X.

PILLIAE. *Pillia* gens ex hâc Inſcriptione prodit. *Pilia* habetur & in Gruter. pag. CMLXXXVIII. 9. & in Reineſ. Cl. I. 250.

Inter ſingulares notas D. M. viſitur patera excavata cum tribus foraminibus; in aliâ Inſcriptione XCI. patera cum ſeptem foraminibus; ſimilis n. CXL. ſed unico ductu perforata. Exſculptas has fuiſſe in Inſcriptionibus, quibus ſepulchrales urnæ claudebantur ad excipiendas vel parentum, conjugum, filiorum lacrymas, vel funebres libationes, doctiſſime de more probat Fabrettus Inſcr. Dom. Cap. II. pag. 67. uſque ad 70. Vid. etiam Gor. Inſcript. in Etrur. Urb. exſtant. Par. I. pag. 90.

Y LXXXI.

(*) *Acciana dicitur Figulina P. Satrii C. F. Camilia, quia in fundo Acciano erat poſita; prædia enim, ubi figulinæ erant, in iis notabantur. En in aliis ejuſdem Muſei Lucernis exempla.*

EX OFF. P. IVL. TAR
AD PORT. TRIG.
*in fundo Lucernæ.*
ANTONINI AV
TIBERINA P. CL.
MAXIM. SAC
*in ſimili fundo.*
C. ICCI VATICAN
*in ſimili fundo.*

*Hinc Juvenalis Sat. VI. 35.* & Vaticano fragiles de monte patellas.

Digitized by Google

## L X X X I.

AMMIAE. Ammia gens nota eſt ex Grutero & Reineſio; ac etiam Gudio, ut monuit Spanhemius de Uſu & Præſt. Numis. Diſſ. II. p. 83. Edit. 2. in hac tamen Inſcriptione cognominis loco ponitur; item in Gruterianâ pagin. DCXL. 8. imo in Inſcriptionibus etiam libertarum, ex quo apparet *Ammia* ſervile nomen fuiſſe; notum eſt enim ſervorum, ancillarumque nomen poſt manumiſſionem in cognomen tranſiiſſe. Vid. Grut. pag. DCXXI. 2. CMLXVI. 2. & Gor. par. I. Inſcr. Etrur. pag. 402.

## L X X X I I.

P. Ælius Evariſtus monumentum fecit; ejuſdem privignus, ac fortaſſe etiam heres L. Vafrius Clemens Inſcriptionem, & leges monumento poſuit.

AELIAES. Genitivus in AES pro AE Græco more in antiquis Inſcriptionibus ſæpe occurrit, cujus rei vide exempla in Indice præſertim Gruteriano Cap. XIX.

FILETENIS Nomina hæc feminina per Metaplaſmum aucta erudite illuſtravit P. Lupi in Commentario ad Epitaph. S. Severæ §. XVI. p. 160. & ſeqq.

## L X X X I I I.

APianus, Vertranius Maurus de Jur. liber. cap. XLIII. Gruterus pag. DCLII. 10. Inſcriptionem hanc Piſauri exſtitiſſe teſtantur, & poſtremus iſte Piſauri a Burchelato viſam ſcribit; iterum tamen pag. DCCLXXXVI. 9. emendato nomine *Agabrorii* in *A. Gabinii* producit & *Romæ in Domo Bernardini della Valle* exſtare tradit; verius id puto; deeſt enim in MSS. meis Collectionibus.

FILIAE NATURALI. Quinam ſint filii naturales docet Modeſtinus in l. *Non facile* 4. §. 2. ff. *de gradib. & adfin. Et quidem naturalis cognatio*, inquit, *per ſe ſine civili cognatione intelligitur, quæ per feminam deſcendit, quæ vulgo liberos peperit*. Item *appellatione filiorum & naturales liberos ideſt in ſervitute ſuſceptos contineri* docet Scævola in l. *Lucius Titius* 88. §. 12. ff. *de Leg. II.* cui conſonat Imperator in §. *Juſta autem* 5. Inſt. tit. *quibus ex Cauſſ. manumitt.* Præter hos alii etiam natu-

Digitized by Google

naturales filii erant, ii nempe qui ex concubinâ ſuſcipiebantur, quam uxoris loco habere conceſſum erat, uxorem ducere ex lege Papia & Poppæa vetitum; exemplo rem planam facio. Senatoribus libertina conjugia interdicta erant memoratis legibus; verum ſi Senator libertam conjugem accepiſſet, filii, quos ex ea ſuſcepiſſet, ſpurii non erant, neque infames; filii naturales dicebantur, nomenque a matre accipiebant, cui patris cognomen addere aliquando conſueverunt. Vide hæc fuſius agentem Jo: Gottl. Heineccium in eruditiſſ. Comment. ad l. Juliam, & Papiam Poppæam lib. II.

## L X X X V I.

INſcriptionem hanc Cl. Fabretto acceptam referimus, qui eam Cap. I. Inſcr. Dom. n. *61.* ex Claudio Menetrerio vulgavit. MACERIAS A FVNDAMENTIS. Solebant Veteres ſepulchra circumvallare, ut acceſſum prophanis hominibus, exteriſque prohiberent; ac illud quidem adeo ſolenne fuit, ut quod in his munimentis, ſeu circumvallationibus impenſum fuerit, funeris cauſsâ factum eſſe reſponderit Macer in l. *funeris* 37. ff. *de Religioſ.* Hæ autem vel e marmore fiebant, vel e lapide, quandoque etiam ex ferro, plerumque tamen ex maceria. Hinc *maceria ſepulchrorum* in vetuſtis Scriptoribus, quos vide apud Kirkman. de Funer. lib. III. cap. 17. *Maceriam in re funebri* Cl. Adrienſis Epiſcopus a Turre in Commentario de Diis Aquilejenſibus pag. 307. *murum eſſe cæmentitium* docuit, *quo ſpatium ad ſepulchrum deſtinatum quoquoverſus concludebatur*; verum haud ſatis hinc intelligi videtur mihi quid fuerit maceria: murus enim cæmentitius eſt, quicumque ex lapidibus rudibus, & informibus, quæ, ut Budæus docuit, *cæmenta* dicuntur, compactus eſt, adeo ut quivis fere murus maceria eſſet, quod profecto ferri non poteſt. Ac ego quidem maceriâ murum ex lapidibus, ſeu lateribus ſine calce (*) factum ſignificari arbitror, quorum in mediterraneis Italiæ locis, ac præcipue circa Apenninum uſus adhuc maximus viget. Hinc facile intelligimus quo pacto maceria illa, quam, ut habetur in Trucul. Act. II. Sc. I. ruſticus adoleſcens nocte tranſilibat,



(*) *Non ignoro Catonem Cap.* 15. *de R. R. maceriam* ex calce & cæmentis vel ſilice *ædificari palam docere. Verum aut corruptus Catonis eſt locus, atque ita reſtituendus* Maceria ſine calce ex cæmentis vel ſilice ædificetur: *quod ipſemet indicare videtur, quum eam* ſublimi oportere *mox ſcribat, aut abuſive Cato maceriam dixit murum illum, quo villam circumcludi volebat, ea fortaſſe de cauſſa, quod munitiones iſtæ ex maceria plerumque fierent.*

ſilibat, ut ad amicam pergeret, in ſingulas noctes latere fieret minor, quod quærit truculentus ſervus Sc. II.

*Quid maceria illa ait, in horto quæ eſt, quæ in noctes ſingulas Latere fit minor, qua iſte ad vos damni permenſu, ſi viam?* quia nempe lateres nequaquam calce duratos facile adoleſcens tranſiliens diſſipabat. Id, quod modo ſtatuimus, confirmari mihi videtur ex Siculo Flacco de Condition. Agr. qui maceras deſcribens neque calcis, neque luti, quo loco calcis uſos aliquando fuiſſe Veteres, prout quoque nunc fit, docet Livius lib. XXI. ullatenus meminit; ait enim: *Maceriæ quoque, & quæ ex congeſtione lapidum fiunt, & quæ manibus inſtruuntur, non ſemper aut terrarum excipiendarum, aut repurgandi agri, aut finem præſtandi cauſſa fiunt:* Diverſi generis fuiſſe macerias docet Varro lib. I. de R. R. cap. 14. *Quartum fabrile ſepimentum eſt notiſſimum, maceria; hujus ſpecies fere quatuor: quod fit e lapide, ut in agro Tuſculano: quod e lateribus coctilibus, ut in agro Gallico: quod e lateribus crudis, ut in agro Sabino: quod ex terra & lapillis compoſitis in formis, ut in Hiſpania, & agro Tarentino.* Porro ne oculos prætereuntium læderent, & ut firmiores contra aeris inclementiam eſſent, tectorio opere tegebantur. Varro de R. R. lib. III. cap. 12. *quis ignorat ſepta e maceriis ita eſſe oportere in leporario, ut tectorio tecta ſint, & ſint alta?* Columella lib. VIII. cap. 15. *Ea tota maceries lævigatur opere tectorio extra intraque.* Sed antequam macerias relinquo, vetus producenda eſt Inſcriptio, quam Præneſte a ſe exceptam nuper miſit Vir clariſſimus Pompejus Compagnonius.

FL . T . F . PHOEBE VIVA FECIT
SIBI LIBERTIS LIBERTABVS
QVE POSTERISQVE EORVM IN
CVIVS MONIMENTI TVTELAM
DEDIT AEDIFICIVM MACERI
A CLVSVM CVM AGRO etc.

CVM OLLARIIS ET AEDICVLIS. De utriſque ita accurate & erudite Fabrettus cap. I. pag. 15. & 54. ut nihil ſupra.

LXXXVII.

Digitized by Google

## LXXXVIII.

VIſitur etiamnum hæc Inſcriptio in gradibus D. Franciſci, literis prætereuntium pedibus non adeo deletis, quin *Procli* & linea ſequenti *Primitivæ* veſtigia appareant. Integram exhibemus ex MSS. Codd. Apiano, & Manutio in V. *Conjux* n. 87. Habet etiam Gruterus pag. DCCLXXI. 3. & *Romæ in domo Bernardini della Valle* eſſe ſcribit. Item Fabrettus lineis aliter diſpoſitis Inſ. Dom. Cap. X. n. 373. & *Romæ in Hortis Juſtinianis* exſtare tradit.

HOMINI BONO. Præclaram laudem, quam adeo probavit Lipſius, obſcurare, ac ad turpem ſenſum convertere, neſcio quam ob cauſſam Viri doctiſſimi conati ſunt, quos refellere haudquaquam videtur operæ pretium; ſatis enim celebris eſt J. Conſultorum regula, quâ docemur, neminem præſumi turpitudinem ſuam profiteri.

## LXXXIX.

EDita eſt hæc Inſcriptio in Collectione Donianâ Cl. XII. 60. ibique *Piſauri in Ædibus Canonicorum* exſtare dicitur; in MSS. Collectionibus *apud Nobb. de Pretis*, quorum ædes prope Canonicales incoluntur nunc a Nobb. de Carandinis. In exemplari Doniano aliter lineæ diſponuntur, ac fortaſſe rectius. Nos marmore deſtituti exemplar Collectionis M. Antonii Gozzei repræſentamus, in qua item adnotatur repertam fuiſſe Inſcriptionem ſub Monte Accio in Vinea Conſtantii Sabbatini.

IVLIAE IVSTAE. *Juliam Juſtam* exhibet Inſcriptio XCIX. quam tamen ab hac diverſam fuiſſe ipſarum Inſcriptionum ſtylus ſatis demonſtrat.

KARISSIMAE. Donius CARISSIMÆ.

SABINIANVS. Donius BIVIANVS. Collectio V. C. Pompeii Compagnonii ABINIANVS.

## XCIII.

SAtrios Piſaurenſes aliæ memorant Inſcriptiones. *Satriam Primitivam* exhibet Marmor LXXVII. *Q. Satrius Calliſtus*, qui *Satriæ Pipuſæ* conjugi monumentum poſuit, fratrem habuit *Satrium Trophimum*, a quo Inſcriptione, quam V. n. CIII., ho

noratus

noratus fuit. Figulinas in fundo Acciano habuiſſe docent fictiles lucernæ ex Muſæo Paſſerio

ACCIANA
P. SATRI. C. F.
CAM

SATRI. CAM

tribus Camilia, quam in his profitentur Satrii, illos non figulos, ſed figulinæ dominos oſtendit.

## XCIV.

VUlgavit hanc Inſcriptionem Fabrettus Inſcr. Dom. cap. V. n. 385. Elegans conjugalis amoris teſtimonium ab alio & quidem elegantiſſimo ſeparari nequit, quod in veteri Inſcriptione exhibetur, quam Angulis ſecus Avenionem anno 1734. repertam communicavit mecum Vir æterna memoria dignus Joannes de Abatibus.

D M
CVPITIAE FLORENTINAE
CONIVGI PIAE ET CASTAE
IANVARIVS PRIMITIVVS
MARITVS QVALEM PAVPER
TAS POTVIT MEMORIAM DEDI

## XCVI.

LOnga foramina, quæ e latere Inſcriptionis viſuntur, ſuos uſus habebant. Collocatis namque Inſcriptionibus ſupra januas ſepulchrorum, per ea tamquam per feneſtras lumen ſepulchra accipiebant. V. Erud. Gorium Inſcr. Etr. Urbium Par. I. pag. 25.

## XCVII.

INſcriptionem hanc edidit Malvaſia Marm. Fel. pag. 307.
Ac quoniam Inſcriptiones noſtras ob earum ſimplicitatem notis proſequi vix poſſumus, non injucundum fore confido, ſi ineditas alias, in quibus conjugalis amoris teſtimonia deprehenduntur, hic vulgavero.

T . T E R E N T I V S
T E R T V L L I N V S
V I V V S P O S V I T
ET CAESIDIAE FAVSTINAE
CONIVGI SANCTISSIM.

*Ravennæ.*

· D . M
C . AEMILIO SEVERO
(*) 7 N̄ . PAN . VIX . AN . XLI
MIL . AN . XXII . I̅I̅I̅ HER
V A L E R I A F L A V I N A
C O N I . P . C
ET PINNIVS PROBVS . H

*Ibidem.*

D. M.

(*) *Ita interpretandæ ſunt notæ iſtæ.* Centurioni, natione Pannono. *C. Æmilius Severus natione Pannonus centurio fuit trieræ Herculis. Eos, qui triremibus præpoſiti erant,* trierarchos

D . M

L . I D A S I M I

V A L E N T I S

(*) AMOR . CVST . V̄

VIC . NAT . DELMATA

VIX . AN . XLIII

MIL . AN . XXIII

IVL . SEVERINVS

HERES EIVS ET

SEVERA VXOR

B . M . P . C .

*Ibidem.*

D.M

chos *dictos fuiſſe docet Aſconius ad illud Ciceronis in Verrem lib. I. c.* 20. ſeſe, quum eſſet trierarchus. *Centurionibus tamen triremes aliquando attributas fuiſſe teſtatur Cæſar de bello Gall. lib. III. c.* 9. Neque ſatis Bruto, qui claſſi præerat, neque tribunis militum, centurionibuſque, quibus ſingulæ naves erant attributæ &c. *Verum differre trierarchos a centurionibus claſſiariis oſtendit Taciti locus Annal. lib. XIV. c.* 8. Reſpicit (*Agrippina*) Anicetum Trierarcho Herculeo, & Oloarito centurione claſſiario comitatum. *Ac alium quidem centurionem claſſiarium exhibet vetus Inſcriptio ex ruderibus Miſeni effoſſa, & a Cl. Gorio edita Par. I. Inſcr. Etr. Urb. pag.* 242. *nempe* IVLIVm SEVERVm. Ↄ III LVCIFERo, *itemque centuriam Faeni Inſcriptio alia ab eodem vulgata pag.* 249.

L . VRBINIO . QVAR
TINO . MIL . EX . CLAS
PR . MISEN . 7 . FAENI
IVSTI . NAT . AFER . etc.

(*) *Armorum Cuſtodem in militia navali alia vetus Inſcriptio Ravennas in Grutero vulgata p. DXLVI.* 9. *exhibuit; at clarius noſtra hac, in qua etiam* Quinqueremis Victoriæ *mentio habetur. Quinqueremes ſæpenumero a vetuſtis Scriptoribus memorantur; raro tamen in antiquis Inſcriptionibus occurrunt; nam duas alias tantummodo vidiſſe memini, unam in Par. II. Inſcr. Etrur. Urb. pag.* 186., *quæ iterum vulgata eſt in Syntagm. Doniano Cl. VI.* 11. *alteram in Pompei Sarnellii libello, cui titulus* Guida de' Foreſtieri per Pozzuolo *eaque ſic habet.*

M . ANTONIVS RVFINVS
MILES EX . V . VICTORIA SIBI
ET L . IVLIO APOLLINARI FRATRI
MILITI EX III DIANA VIXIT
ANNIS XXXVIII MIL . AN . XIIX
ET LIBERTIS LIBERTABVS POSTE
RISQVE EORVM

Digitized by Google

D . M

L . IVLIVS SEVER

(*) INVS ARMIGER

(**) VS III MARIN

N . DALMATINVS

MIL . AN . XVIII

IVLIA VXOR

*Ibidem.*

Z D.M

(*) *Armigeros triremium numquam audivi. Probabile tamen eſt illos arma, qua a cuſtode armorum ſervabantur, nautis & militibus ſubminiſtraſſe. Facile nunc intelligitur quid ſibi velit nota* HARM. *in veteri Inſcriptione a Gorio vulgata Par. I. Inſcr. Etr. Urb. pag. 242. quam Vir eruditiſſimus inexplicatam reliquit, nempe* Harmiger Triere Lucifero. CAMVRIVS COLO . HARM . III . LVCIFER. *illud quoque notandum* armigerus *dici qui ab antiquis Scriptoribus* armiger *appellatur.*

(**) III MARINO, *quia ſcilicet a marino equo navis inſigni nomen acceperat. Triremis Imperatoria Columna Trajanæ n. 233. Marino equo notatur. Sed haud ingratam rem fecero Lectoribus, ſi en iiſdem Ravennatibus Inſcriptionibus nuper detectis, aliam triremem in ſcenam produxero.*

D . M .

M . TITIVS

A P V L V S

III ARCIN

NAT . DEL

VIX . AN . XL

MIL . AN . XII

M . ANNIVS

A P V L V S

B . M . P . C

D . M
C . OCLATIO
ZOSIMO VI VIRO
(*) M . R . OCLATIA
ANTHIS
CONIVGI SANCTISSIMO
ET SIBI VIVA P . C .

*Ibidem*.

D . M
PAETILLIAE
PRIMICENIAE
TIBERIVS
CLAVDIVS
CARPVS
COIVGI OPTIMAE

*Eugubii*.

CLVVIAE
THYCE
FILIVS ET ALVMNI
P . PISENTIVS ACIM
VS . CONIVCI P .
PISENTIVS SALVARI
B . M .

*Ibidem*.

L. BRAE-

(*) M . R . *Municipii Ravennatis*.

Digitized by Google

L . BRAETIVS COM
MVNIS FECIT ATE
LIAE Ↄ . L . MODERATAE
CONIVGI SVAE CARISSIMAE
V . A . XXV

*Ibidem.*

D : M
Q . POMPONIVS Q . F . CORYMBVS
Q . MARIO Q . F . CORYMBO
ET CLAVDIAE L . F
PARENTIBVS DVLCISSIMIS
ET IVLIAE SEX . F . CONIVGI
INCOMPARABILI
ET SIBI ET . LIB . LIBERTAB .
ET POSTER . SVIS

*Ibidem.*

D . M
MVNATIAE
APOLLAVS . L .
MVNATIVS
HYPNVS
CONIVG . KARIS .

*Perusia.*



Digitized by Google

## X C V I I I.

INter *Peregrina*, ſeu potius *Chriſtiana* marmora collocari debuit (*) hæc Inſcriptio, quam e Cœmeterio Commodillæ petitam dono mihi dedit patruelis amantiſſimus Nicolaus de Abatibus Oliverius Epiſcopus Porphirienſis, ac Sacrarii Apoſtolici Præfectus. Dimidio auctior exſtat in Boldetto lib. I. Cap. XIV. ubi tamen neſcio quomodo ex Cœmeterio S. Helenæ eruta ſcribitur. En quomodo illam Boldettus repræſentat

BENEMERENTI . CONIVGI . PONTIANO . IN . P....

FECIT . QVI . VIXIT . MECVM . ANN . LXXVIIII....

DIGNIS . LVCE . FECISTI . LVCE . HAN... (**)

ET . FILI . BENEMERENTI . FECERVNT

## C.

AD Antoninorum tempora pertinere hanc Inſcriptionem Æliæ, Liberalis Cæſaris vernæ ſororis, nomen oſtendit. Dimidium ſeu ſemis litera S ſignificabant veteres, ut conſtat ex nummis, in quibus ſupra proram navis S viſitur ſemiſſis, ſeu dimidii aſſis indicium, & ex argenteis etiam ſeſtertiolis, quorum aliquos typo diverſos habeo, in quibus IIS pone caput Romæ galeatum ſignatur, quod nempe duos aſſes cum dimidio nummi illi valerent; inde nota communis ſeſtertiorum HS, lineola intermediâ dumtaxat additâ. Idem apparet in vetuſtis inſcriptionibus, quarum plurium loco ſit, quæ exſtat in Cl. Boldetti opere pag. 404. in quâ *Donata* quædam vixiſſe dicitur ANN. III. MENS. XI. DIEB. XXIIII. HOR. VIIS. Veteres enim non ſolum diligentiſſime annos numerabant, aut menſes, quibus ille, cui monumentum ponebatur, vixiſſet; verum etiam dies, horaſque, & quod caput eſt, quandoque etiam horarum ſcrupulos; videſis Fabrett. Inſcr. Dom. Cap. II. pag. 95. & ſeqq.

Inter-

(*) *Erroris cauſſam in Præfatione explicavimus.*
(**) *Nihil ad hunc verſiculum ſupplendum præclarius excogitari potuit, quam illud, de quo me monuit Pompejus Compagnonius, nempe* Hanima dulcis *ſeu* dulcior *ita ut per blanditiam Pontianum conjugem animam luce dulciorem uxor appellaverit. Idem tamen Vir doctiſſimus uxoris ipſius nomen, veluti* Hanaſtaſia *vel ſimile, contineri ibi poſſe non diffitebatur.*

Digitized by Google

Interdum tamen loco integræ S ad dimidium deſignandum notam illam, quæ in hac Inſcriptione exhibetur, nempe Ↄ uſurpaſſe Veteres hinc diſcimus; neque enim ea aliter explicari poteſt; Fortaſſe res non caret exemplo: nam, ſi bene memini, in aliis etiam vetuſtis Inſcriptionibus id olim deprehendiſſe mihi videor, quas magno opere quærere haud eſſet operæ pretium, quum præſertim Vir undequaque clariſſimus Pompejus Compagnonius notam hanc pro ſemuncia in tabula, quæ Demetrio Alabaldo tribuitur uſurpatam, per literas mihi nuper ſignificaverit.

## C I V.

MAnutius in Orthogr. hanc Inſcriptionem vulgavit, & *prope Piſaurum* exſtare recte ſcripſit; Grut. pag. DCCCCLIV. 9. *e Manutio & Buchelii ſchedis*, quæ tamen loco *Sextii* male *Sextilium* exhibent. In repetita ejuſdem editione additur: *ad S. Mariam in Pual uno milliari a Catholica: ita Bajerius.* S. Maria Imperialis evaſit *in Pual* & quum uno dumtaxat milliari Catholicam verſus Piſauro diſtet, uno milliari a Catholica ponitur; en ut facillime in locis Inſcriptionum indicandis errent Viri cæteroquin diligentiſſimi.

In porticu igitur D. Mariæ Imperialis exſtabat hæc Inſcriptio, quam ob Fabros in ea anaglypho opere inſculptos vico nomen *le Fabreccie* dediſſe haud inepte conjectari poſſumus; nunc vero apud me ſervatur beneficio Viri pietate, nobilitate, ac eruditione præſtantiſſimi Philippi Spadæ Piſaurenſis Epiſcopi, qui veteri illa porticu diruta, ac Eccleſia in ampliorem, melioremque ſtatum, quam quondam fuerat, ſuis ſumptibus renovata, Inſcriptionem benigniſſime mihi conceſſit.

Fabri porro, quos memoravimus, idcirco in marmore inſculpti fuerunt, ut artificium, quod Sextii illi viventes exercuiſſent, viatoribus indicarent; ſi quis plurima hujuſce moris exempla deſiderat, adeat Fabrettum ad Tabell. Iliad. pag. 337. & ſeqq. & cap. IV. Inſcr. Dom. pag. 274.

## C V I.

BONITATI. Cognomen ſoceræ L. Petronii, ita porro L. Antonius Conſul, M. Antonii III Viri R. P. C. frater, *Pietatis* cognomen habuit; quod tamen haud ſingulare fuit; plures enim *Pietates* occurrunt in Grutero. Vid. Ind. cap. XXIII.

## C V I I I.

SAC. BAC... fortaſſe *Sacerdos Bacchi*. Feminas Bacchi Sacerdotes in Bacchanalibus memorat Livius lib. XXXIX. cap. 13. *Famulam* Bacchi Inſcriptio Gruter. pag. CCCXVIII. 12. *Sacerdotes* vero *Liberi* mares vetus item Inſcriptio Collectionis Donianæ Cl. IV. 7.

## C I X.

TYpographus dum prœlo fragmentum hoc Inſcriptionis ſubjiceret, duas lineas omiſit, ſecundam nempe & quartam, quod pene ſerra deletæ eſſent ab impiis hominibus, qui antiquum, & literatum marmor in uſum cataractæ miſere cedere voluerunt; iis reſtitutis ita ſe habet Inſcriptio.

M . ATTIVS . C . F .
ET C . ATTIO C . F .
VISIDIAE M . F .
C . ATTIO C . F .
M . VISIDIO M . F .

## C X I.

EXſtabat olim hæc Inſcriptio Piſauri in Ædibus Nobb. de Julianis; inde a Cl. Fabretto, dum Piſauri degeret Cardinali Cerrio de Lateri Legato a conſiliis, acquiſita, ejuſdem clariſſimi Viri Urbinati ſuburbano ceſſit, ubi plurimas illas Inſcriptiones Romà, ac aliunde adueçtas cumulavit, quas Inſcriptionum Domeſticarum nomine eruditis commentariis illuſtratas in publicam lucem emiſit. Gratulemur itaque Inſcriptioni noſtræ, quæ & in fronte illarum Ædium collocata eſt, & inſigni commentatione ornata, quam hic damus ex Cap. V. Inſc. Dom. n. XV.

*De intellectu etiam hujus appellationis DELICATI contentio*

*viget*

Digitized by Google

*viget inter Criticos. Marcellus namque Donatus ad Svet. in Veſp. c. 3. nihil turpitudinis in ſe continere epitheton illud aſſerit, & ex variis Ciceronis locis, hacque ex Grutero Inſcriptione probat p. CCCXI. 6.*

D . M

TEIAE EVPHROSINES

RVFFINAE V.V

DELICATAE

*quaſi nefas ſit impudicitiæ Virginem Veſtalem arguere. Contra Andreas Dacerius in eruditiſſimis notis ad Sex. Pompejum Feſtum adeo turpiter verbum hoc accipit, ut hæc ſcribat:* Delicati homines ſunt, qui muliebria patiuntur. *Et quidem locus alius Svetonii in Tito c. 7. quem Donatus expendit*, quoſdam e gratiſſimis delicatorum, quamquam tam artifices ſaltationis, ut mox ſcenam tenuerint, non modo fovere prolixius, ſed ſpectare in publico omni cœtu ſuperſedit, *ſi ſuperioribus elauſulis objectæ eidem Tito intemperantiæ reſpondeat*, DELICATOS *iſtos eſſe ex grege ſpadonum & exoletorum, per quos ſuſpecta fuit ejus libido, congruenter intelligitur, ut & Torrentius ibidem accepit. Ex aliis etiam Ciceronis authoritatibus ultra eas, quas pro ſua ſententia Donatus adducit, ambigua ſaltem redditur hujus verbi obſcenitas, nam epiſt. 16. lib. I. ad Atticum juventutem ſuis partibus adverſantem* libidinoſam & delicatam *vocat, quaſi unum epitheton aliud explicet; eodemque pacto lib. I. de Nat. Deor.* delicatas *cum* obſcenis *voluptatibus jungit.*

*Sequentes etiam noſtræ, pravæ omnis ſuſpicionis expertes ſunt.*

D & M

PARVVLVS HIC SITVS EST VIXIT TRIS VSQVE PER ANNOS

INQVE NOVEM MENSES INVALIDOSQVE DIES

NOMINE GRISOLOGVS AMABILIS VTQVE ERAT INFANS

FLEBILIS ET MISERE RAPTVS AD INFERIAS

SATVRNINVS . FILIO . VELIA . LALEMA

DELECATO SVO POSVIT

*Ex Schedis Barberinis.*

CAE-

Digitized by Google

GAESILIA . Q. L .

CINNAMIS

DINDIAE . LAVRIDI

DELICATAE . SVAE . ANN

NATAE . XXIV

*Aquilejæ ex iiſdem.*

*Explicat hoc verbum Dauſquejus in Orthogr. Vol. I. p. 44. ut Inſcriptionem Tejæ Euphroſinæ emendet ex* DELICATAE *in* DEDICATAE *quaſi* Diis dicatæ , *ſed nihil agit , dum de profano , ſive obſceno in ſacrum convertere conatur ; quia & cæteræ ex Grutero Inſcriptiones, & noſtræ modo allatæ aperte repugnant. Caſſoniam item gentem Grutero ignotam obſervabis.*

CASSONIQ . *Caſſonia* gens forte eadem cum *Caſonia*, quam vidimus n. LXXXV.

Tria foramina , quæ ſupra primam lineam viſuntur , quæque ⊖ litera expreſſit Typographus, idcirco fortaſſe in marmore appoſita ſunt, ut iis Caſſoniorum Veſtini, Vitalis, & Verecundi effigies continerentur.

C X I I.

ELegantiſſimam Inſcriptionem anno 1733. repertam cimeliolo meo tamquam gemmam ſollicite comparavi . *Quod reliquum eſt poſt obitum in corpore*, *reliquias* dictas animadvertit Fabrettus Inſcr. Dom. Cap. X. p. 721. ex pluribus Gruterianis Inſcriptionibus a Scaligero in Indice Hiſtorico congeſtis; evidentius tamen ex hac Inſcriptione conſtat *reliquias* dici cremati corporis reſidua, oſſicula nempe illa, ſeu oſſium fragmenta , quæ ignis vis abſumere non potuit; quod & doctiſſimus Romanorum Virgilius VI. Æneid. notavit de Miſeni corpore cremato

*Poſtquam collapſi cineres, & flamma quievit,*
*Reliquias vino, & bibulam lavere favillam.*

haud abſimili ſenſu Svetonius in Calig. cap. 3. de Germanico loquens : *cæſorum clade Variana veteres ac diſperſas reliquias uno tumulo humaturus colligere ſua manu, & comportare primus aggreſſus eſt.*

ALVMNO . De Alumnis plura erudite diſſeruit Fabrett. Inſcr. Dom. cap. V. p. 349. & ſeqq. quem vide.

CXIV.

Digitized by Google

## C X I V.

PRæter Seviros Auguſtales, Seviros quoque fuiſſe collegiorum, corporumque alibi dicemus. Cujuſnam autem generis Sevir fuerit D. Nerſinius tuto dici non poteſt. Sæpe occurrunt in antiquis Inſcriptionibus Seviri iſti, ita ſimpliciter appellati, ut dubium reliquerint an ex ordine Auguſtalium fuerint, an vero Collegiorum; ne maximas Inſcriptionum collectiones ſollicitemus, teſtes accedant hæ ex meis Schedis petitæ, ac nondum, ut puto, vulgatæ.

SEX . VISTILIVS
SEX . L .
BATYLLVS
SEVIR

*Eugubii.*

C . CAM . . . .
THEOPHIL
SEVIR
IN.FR.P.XIII.IN.AG.P.XVI

*Ibidem.*

T . VASSIVS
T . L
FAVENTINVS
SEVIR

*Ibidem.*



Digitized by Google

G . POMPEIVS
G . L . SCEPTVS
SEVIR

*Ibidem.*

C . DECIVS . C . L
EROS . SEVIR
DECIA . C . L
IN . FR . P . XII
IN . AGR . P . XII

*Ibidem.*

## C X V.

HUjus fortaſſe Inſcriptionis fragmentum eſt, quod n. CXLIV. viſitur, proximis diebus ab amiciſſimo Viro Jo: Baptiſta Paſſerio J. C. comparatum: ex quadam enim ipſius Suburbii domuncula allatum ad illum fuit.

## C X V I.

MVSCINI. *Muſcis Muſcinis*, ſeu *Muſcinis Muſcinis* ſervile nomen femininum, rarum eſt, nec alibi, quod ſciam, viſum.

VIVOS. De promiſcuo uſu V & O in fine verborum adeo conſtat, ut ineptire videretur, qui eum illuſtrare in animo haberet.

## C X V I I.

INſcriptio hæc anno 1729. Nubilariæ in prædio DD. de Gavardinis reperta, ac *Terentiam* gentem Piſaurenſem exhibens, ſententiam noſtram mirifice confirmat, qua D. Terentium Piſaurenſium Patronum, quem apocrypha ejuſdem martyris acta Pan-

Digitized by Google

Pannonum fuiſſe tradunt, non ſolum martyrio, ſed etiam natione vere Piſaurenſem fuiſſe haud levibus conjecturis adducti ſtatuimus. Sed hæc alibi.

D.... HILVSA. Supple *Decimi Liberta* PHILVSA ex Inſcriptione Gruteriana p. DCCCLII. 4.

DE SVO. Clauſulam hanc explicat Fabrettus Inſcr. Dom. cap. II. pag. 70. quem vide.

## CXVIII.

SAlvadorius Salvadorius ſua ætate Inſcriptionem hanc prope ædificium vulgo *l'Ingualchiera* a Magiſtro Bartolomæo Fabro repertam, in ſua Collectione teſtatur.

## CXX.

IN Suburbano Macignorum ſub Monte Imperiali erutam tradit M. Antonius Gozzeus in ſua Collectione.

## CXXIII.

LApis iſte duas gentes Grutero ac Fabretto ignotas protulit *Aſuilliam* nempe & *Iſſiniam*; plura ex eo diſcere nos vetant fugientes literæ.

## CXXVII.

INſcriptionem hanc, quam apud Nobb. de Prætis exſtaſſe olim fidem faciunt collectiones noſtræ, non in marmore fuiſſe, ſed in latere facile mihi perſuadeo; videbatur itaque reſervanda *figlinis Piſaurenſibus*; ſed ſi quis aliter, ac ego, exiſtimaverit, ne ſcienter aliquid a me omiſſum doleat, locum etiam hic dedi. Ac fœde quidem corruptam Inſcriptionem puto: plerumque enim haud facile eſt literas ex antiquis lateribus excipere, atque ita illam ſe habuiſſe exiſtimo

EX OFF. VOCO

NIAE OP. DOL.

nempe *ex officina Voconia opus doliare.*

## C X X I X.

VUlgavit hanc Inſcriptionem Franciſcus Swertius in ſuis *Selectis Orbis Chriſtiani Deliciis* pag. 127.; Spuriam eſſe nemo non videt, & ex eo veteri epigrammate deſumptam, quod habetur in *Erronibus Veneteis* poſt Petron. Arbitr. edit Amſtæled. 1669. pag. 103.

*Forma atque illecebris Veneri vixi amula, livor*
*Saxo delitias invidus occuluit;*
*Artificis pietate iterum rediviva placebam,*
*Ni me vidiſſet Cypria marmoream.*

Tamen in latere ejuſdem baſis alteram hanc haberi Inſcriptionem ſcribit in ſua Collectione Salvatorius Salvatorius

IOANNES SFORTIA DIVI CONSTANTII F.
DIVI ALEX. NEP. DIVI SFORTIAE PRONEP.
VETVSTATE ABSVMPT. RESTITVIT.

quam quidem ad reſtitutionem ſimulacri, quod huic baſi ſuperimpoſitum olim fuerit, pertinere exiſtimo.

## C X X X I.

EGregium monumentum haud paſſus Raimundus Comes Santinellius apud coriarium miſere deliteſcere, in lectiſſimum Joannis Baptiſtæ Paſſerii J. C. Muſæum intulit. Operculum illud fuit urnulæ cinerariæ, qua fortaſſe T. Accii Piſaurenſis, oratoris celeberrimi, quem alibi memoravimus, cineres claudebantur. Degebat ille Romæ, in eaque Urbe patronum agebat, ut ex Cicerone conſtat in Orat. pro Cluentio, contra quem Accius dixit, & ex lib. de Clar. Orator. ſeu Brut. cap. 78. Ibi diem clauſerit ſupremum, verum cineres ſuos in patrium ſepulchrum teſtamento advehi mandaverit, quod fieri conſueviſſe (*) nemo ignorat, vel Roma decedens Piſauri in

patria

(*) *Celebre eſt in hanc rem Anaxagoræ reſponſum, qui, inquit Cicero Tuſcul. lib. I. cap.* 43. quum Lampſaci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, ſi quid ei accidiſſet, auferri: nihil neceſſe eſt, inquit: undique enim ad inferos tantumdem viæ eſt.

Digitized by Google

patria objerit; inde conſtaret lapidem hunc inſcriptum fuiſſe vel anno U. DCCVII. vel paullo ante, tunc enim T. Accius orator exſtinctus eſt, ut ex Cicerone liquet, qui in Bruto, quem librum memorato anno 707. ſcripſit, ut Viri docti conſentiunt, inter amicos ſuos, qui *nuper* mortui erant, T. Accium Piſaurenſem recenſeat. Neque tamen hæc mihi ſententia adeo arridet, ut ad Accium oratorem Inſcriptionem hanc pertinere omnino velim. Fieri enim potuit, ut ea alterius T. Accii Piſaurenſis cineres clauderentur. Sed quicumque tandem ille fuerit, cognomine caruit, ejuſque loco patriæ nomine inſignitur; quod quidem non inſolens eſt in antiquis Inſcriptionibus V. Grut. pag. DCCX. 2. DCCXLVI. 4.

S. Ultimum S. recentiori manu additum nihil ad antiquam Inſcriptionem pertinet.

## CXXXII.

ERuditiſſimus Antonius Franciſcus Gorius, qui hanc Inſcriptionem in Syntagmate Doniano Cl. V. 19. vulgavit, eamdem inſigni commentatione illuſtravit, qua, tamquam gemma, notas has ornare glorior. Ait itaque ille.

*MAGISTER VICI. Magiſtri non ſolum Pagis, ut in Gruteriano lapide XXVI. 9. & inferius in hac Claſſe Quinta, verum etiam Vicis dati; qui e plebe cujuſque viciniæ legebantur, qui vicos tuerentur, publica Vicorum ædificia, ſi vetuſtate collapſa, reficerent, nova a ſolo conſtituerent, aras, & ædes Deorum ſtatuerent, quemadmodum ex Gruterianis lapidibus colligitur pag. XLIII. 4. CLXXII. 9. 14. item LXXIV. 2. A Magiſtris Vicorum initum fuiſſe magiſterium Kalendis Auguſti ſcribitur in duabus Inſcriptionibus apud Grut. XL. 14. & LXXIV. 1. Iidem pondera auraria, & argentaria in viciniis ponebant, & tuebantur, ut ſupra adnotavimus Cl. I. n. 96. & 97. ex quibus item licet arguere annuum magiſtratum geſſiſſe. Ad Vicanos ſpectabat loca adſignare, in quibus publica ædificia, & aræ in honorem Deorum Dearumque dedicarentur, in Vicis, ut ex Gruteriana baſi LXXXII. 9. & CLXXII. 9. erantque Decurionibus in auctoritate ſimiles. In elegantiſſima Florentina Tabula, quæ edita eſt in Par. I. Inſcr. Ant. Etr. pag. 316. n. 64. memorantur MVLIERES VICANAE, quibus natali die Liviæ Auguſtæ mulſum, & cruſtulum ad ædem Bonæ Deæ in ſplendidiſſima Florentinorum Colonia datum fuit. Vicus vero duplex fuit, extra urbem, & in urbe, ut docet Aldus Manutius de Quæſitis per*

*Epiſto-*

Digitized by Google

*Epiſtolam Par. II. n. 7. Vicus extra urbem conſtabat e pluribus caſis, nulla munitione ſeptus. Vicus in urbe ædium erat continuata ſeries, non ipſa via, quæ ſuo nomine appellaretur. Ita apud nos Florentia Urbs in quatuor partes diviſa, quæ patrio ſermone* i Quartieri *dicuntur. Sed Vici Romæ a Diis, vel a Deabus, vel a propinquis aliquâ notâ inſignibus locis, & ædificiis, vel templis, aris Deorum denominati fuere. In Municipiis vero, & Coloniis plures Vicos fuiſſe conſtat ex Vetuſtis lapidibus. Piſauri ſeptem Vici nominantur in antiquo* (*) *lapide apud Gruterum CCCCLXVII. 1. & Arimini MCXIV. 2. quos etiam Vicos Patronum ſibi cooptaſſe diſcimus ex iiſdem monumentis. Litera V, vitæ index, titulum ſepulchralem viventes ſibi poſuiſſe oſtendit.*

CXXXIII.

OLLAS. OSSVA. *Oſſuaria.* Ollæ erant fictiles Urnæ ad defunctorum cineres ſervandos in columbariis, ſeu ollariis plerumque poſitæ; Oſſuaria vero urnulæ lapideæ. De utriſque erudite de more Fabrettus Inſcr. Dom. Cap. I.

CXXXV.

AVGVSTALIS. C. Lentidii, ut puto, cognomen. Vid. Gruter. in Indice Cap. XXIII.

CXXXVI.

DEC. ESQVILINVS. *P. Marcius P. L. Eſquilinus Decurio.* Ita hanc Inſcriptionem legendam eſſe exiſtimo, *Eſquilini* cognomen in uſu apud veteres fuiſſe teſtantur antiqui lapides in Grutero, quorum unus pag. DCCCXXIII. 3. RVFICANVm ESQVILINVm, alter p. DCCXCI. 4. IVLIAm ESQUILINAm exhibet. Optimi ordinis ſervandi cauſſa decuriatos fuiſſe libertos, ac inde illis, qui his decuriis præeſſent, *Decurionis* nomen factum animadvertit poſt Gutherium Cl. Gorius in monumento ſeu Columbar. Libertor. & Servor. Liviæ Aug. pag. 87. & ſeqq. ubi de libertis Decurionibus, diverſiſque Libertorum decuriis eruditiſſime diſſeruit. *Tranſpoſitio autem cognominis poſt officium*, ait Fabrettus Inſcr. Dom. Cap. IV. pag. 300., *nec abſurda nec nova;* ut liquet ex illis exemplis, quæ ibi doctiſſimus Scriptor adducit. CLX.

(*) *Hic etiam lapis ad Ariminenſes pertinet. Vid. Not. XLI.*

Digitized by Google

## C X L.

VEſtigia literæ M. e regione D, quibus formula D. M. deſignabatur, in marmore apparent.

APER CONS. Ita ut edidimus exhibent hanc Inſcriptionem MSS. Collectiones; Verum repurgato marmore, plane conſtitit memorata verba recta linea ſcribi, ac proinde non Apri alicujus Conſulatum denotari, ſed Aprum ſervum fortaſſe aliquem Tigridi contubernali ſuæ, quam *conſortem* appellat, monumentum poſuiſſe. Verbum *conſors* poſt omnes dumtaxat barbarorum incurſiones pro *conjuge* uſurpatum colligi poteſt ex Cangii Gloſſario. V. *Conſors;* tamen apud antiquos etiam aliquando in uſu fuiſſe Inſcriptio noſtra evincit. Inde fortaſſe ea vox conjugibus aptari cæpit, quod non ſolum thalami conſortes eſſent, ut ait Ovidius lib. X. metam.

*Thalami conſorte carebat*.

verum etiam individuam vitæ conſuetudinem haberent. Profecto plurimæ voces, quæ communi, vernaculoque ſermone celebrabantur, in antiquis Scriptoribus, qui ſedulo illas fugiebant, fruſtra requiruntur.

## C X L I I. C X L I I I.

DUo cippi ejuſdem plane magnitudinis, eadem Inſcriptione inſignes, viſuntur alter in *Banchi* alter *Vinea Gavardina ad Arcus;* ambo ibi reperti fuerunt. Inſcriptionem edidit & Malvaſia Marm. Felſin pag. 487. Sepulchri fines iiſdem incluſos fuiſſe nemo non videt.

## C X L V I. C X L V I I.

DUo hæc fragmenta haud contemnendas olim Inſcriptiones exhibuiſſe facile patet. In priori enim liBERAlitas CAESSS trium Cæſarum commendari videtur, in altero aGITAtor aliquis facTIONIS RVSſatæ.



Digitized by Google

# CXLVIII.

INſcriptionem hanc, quæ *Peregrinarum* Inſcriptionum, quæ Piſauri viſuntur, agmen ducit, vulgavit Fabrettus Inſc. Dom. Cap. *9.* apud Dominicum de Abatibus Oliverium propratruum meum ſervari teſtatus. Illam in effodiendis quibuſdam Suaſanæ Urbis ruderibus circiter XVI. ſæculi medium repertam fuiſſe, inde a Julio S. R. E. Card. de Ruvere ad Caſtrum S. Leonis aduectam tradidit Petrus Rodulphius Senogallienſis Epiſcopus in Chronico Senogallienſi MSS. quod Senogalliæ in ſecretiori Archivo aſſervatur.

SVASA. Celebre olim oppidum, de quo fuſe ſcripſit P. Cimarellius in Hiſtoria Gallorum Senonum.

SEXVIR. Sexvir Collegii Centonariorum. Collegia enim per Sexviros quoque adminiſtrata fuiſſe jampridem ex Gruteriana Inſcriptione p. CCCCXLV. *6.* animadvertit Noriſius Cenot. Piſ. Diſſ. I. cap. *6.*

# CXLIX.

ROma advectam fuiſſe hanc Inſcriptionem fama eſt; utique Gruterus, qui illam pag. MXLI. 12. vulgavit ex Mazochio, *Romæ apud Franciſcum Morellium* exſtare ſcribit.

P. AELIO DECIMINO. Vel hic idem, vel alter fortaſſe P. AELIVS DECIMINVS BVCCINATOR occurrit in Grutero pag. DXVI. 8.

EQ. SING. AVG. *Eques ſingularis Auguſti*. Alam *ſingularium* memorat Tacitus Hiſt. lib. IV. cap. 70. Peculiare militiæ genus fuit *Prætorianæ proximum tum munere cuſtodiæ, tum prætenturæ vicinia* ait Fabrettus Inſcr. Dom. Cap. V. p. 354. ubi de Equitibus Singularibus cumulate agit.

CL.

Digitized by Google

# C L.

AMpliori certe commentario illuſtranda eſſet pulcherrima hæc & rariſſima Inſcriptio, quum novum nobis militiæ gradum exhibeat, qui neque ab antiquis Scriptoribus memoratur, neque in vetuſtis Inſcriptionibus occurrit. Sed illud mihi evenire video, quod Scriptoribus fere omnibus accidit, ut properanti ſimilis quanto propius finem operis attingo, tanto ocyus pervenire ad illum feſtinem.

AEQ. IIIPL. AVREL. A. *Equiti Triplari*, ſeu *Triplario* ſive *Triplicario Aureliani Auguſti*; tam Equites, quam pedites annonarum numerum duplicari ſibi meruiſſe jam ſatis ex antiquis Inſcriptionibus exploratum eſt. A modo ſtipendii, quem accipiebant, nomen illi factum. Seſquiplares, qui annonam unam ſemis accipiebant; Duplares, qui duas. *Duplares* ſeu *Duplicarios*, ſive, ut habent Inſcriptiones, *Dupliciarios* memorat Varro lib. IV. de L. L. *Duplicarii dicti*, *quibus ob virtutem duplicia cibaria, ut darentur, inſtitutum*. *Duplares* & *Seſquiplares* Vegetius lib. II. cap. 7. *Armaturæ*, inquit, *duplares, quæ binas conſequuntur annonas, ſeſquiplares, quæ unam ſemis*. Atque hi porro non raro in vetuſtis lapidibus inveniuntur. *Triplares* vero ſeu *Triplarios* unica hæc producit Inſcriptio, quæ profecto hanc ob rem quanti facienda ſit, nemo non videt. Utinam e terræ viſceribus alius aliquis effodiatur lapis, qui quadruplares ac quintiplares proferat, quos omnes in antiqua militia fuiſſe dubitare nos non ſinit inſignis locus incerti authoris de Rebus Bellicis Notitiæ Imperiorum adjuncti, quem a G. Stevukio in Commentario ad Vegetium, jam allatum, recudere iterum operæ pretium eſt, quum mirifice Inſcriptionis noſtræ Triplarem illuſtret. *Ad enormia*, inquit ille, *militum alimenta ratione non incongruâ prohibenda veniamus: quorum cauſſa totius tributariæ functionis laborat inlatio. Sed ne tantæ confuſionis molem occupatio Auguſta faſtidiat, brevius tam diuturni erroris exitum declarabo. Militaris ordo ſtipendiis aliquot peractis, ubi ad quinque vel eo amplius annonarum emolumenta pervenerit, ne hæc diutius percipiens Rempublicam gravet, honeſta miſſione donatus, vacans ſibi otio gaudeat abſolutus.*

F. ABVCIVS. Reliqua Inſcriptio plana eſt. *Fecit Abucius Pius Natione Vindelicus Commilitoni ſuo bene merenti.*

# C L I.

PAſſerii mei fortunæ tribuendum puto, ut quæ in ædium ſuarum veſtibulo ſervat antiqua Marmora, omnia ferme peculiari obſervatione digna ſint. Superior Inſcriptio *Equitem Triplarem* protulit, hæc Gallieni Auguſti Libertum *a gemma potoria*. Libertos *a Laguna* ſeu *Lagena*, *a cyato*, *a poculento argento*, *ab argento potorio*, *ab auro potorio*, *ab auro gemmato*, plures jam, antiquæ Inſcriptiones exhibuerunt. Libertus autem *a gemma potoria* nunc primum ex hac ſingulari Inſcriptione prodit. Romanorum luxum eo perveniſſe, ut excavatis in poculorum modum rarioribus gemmis biberent, animadverterunt jam, cumulatiſque veterum Scriptorum teſtimoniis probaverunt Jo: Meurſius de Luxu Rom. cap. VIII. & Stanislaus Kobierzyckius lib. II. de Luxu Romanorum cap. 10. Gallienum luxui apprime deditum pingit Trebellius Pollio in ejus vita, & illius quoque pocula deſcribit. *Bibit*, inquit, *in aureis ſemper poculis, aſpernatus vitrum, dicens nil eo eſſe communius*. Gemmâ tamen, non aureo poculo bibiſſe Inſcriptio noſtra evincit.

Parte læva hujus marmoris alia viſitur Inſcriptio literis rudioribus efformata*, quam diverſo charactere Typographus expreſſit. Hinc ſuſpicari licet, defuncto jam Amazonio, ejuſque cineribus ollæ in Columbario ſitæ conſignatis, ac titulo ſuperimpoſito, inlatos Corneliæ Auguſtæ libertæ cineres in proximam ollam (binæ enim in unoquoque ollario, ſive columbarii loculo ollæ conſtituebantur, ut ex Fabretto, Blanchinio, & Gorio notum eſt) inſcriptumque illius nomen & officium titulo jam parieti æneis vel ferreis clavis infixo; idcirco marmorarium pari elegantia poſterioris Inſcriptionis literas efformare non potuiſſe.

A. CALAMISTRO. Inter plurima, quæ ad comam ornandam adhibita fuerunt inſtrumenta, principem locum obtinuiſſe videtur calamiſtrum, *acus* nempe *major*, *qua calefacta & fronti adhibita intorquet capillos*, ut tradit Servius Æneid. XII. 100. *Calamiſtra*, ait Varro lib. IV. de L. L. *quod heis calefacteis in cinere capillus ornatur*. Quanta arte quantaque luxuria feminarum Romanarum capilli in cirros, & cincinnos diſponerentur ex antiquorum Scriptorum teſtimoniis oſtendit ſuperius laudatus Stanislaus Kobierzyckius lib. I. de Luxu Romanor. cap. 6. Porro ii, qui calamiſtris comam intorquebant *cinerarii* diceban-

Digitized by Google

cebantur. Varro l. l. *qui ea miniſtrabat a cinere cinerarius eſt appellatus*, atque ita appellat illos Catullus, Horatius vero *ciniſlones* lib. I. Sat. 2. Matronas autem ancillis in rite recteque diſponendo capillitio peritiſſimis & a magiſtris ex artis præcepto inſtitutis ut ex Marciano in l. 65. ff. de Leg. III. obſervat Reineſius ad Cl. I. 89., uſas fuiſſe docent antiqui Scriptores, qui ſæpius *ornatrices* memorant, quas Juvenalis Sat. VI. *coſmetas* vocat

*ponunt*
*Coſmetæ tunicas.*

Quamobrem frequens in vetuſtis lapidibus hujus officii mentio fieri debere videretur; Atqui ſi 5. pag. DLXXIX. quæ *ornatricem a tutulo* producit, & 2. pag. MCXVIII. in quâ *ornatrix galea* exhibetur, paucaſque alias excipias, quæ *Ornatrices* aut *Ornatores* nude memorant, altum de hoc officio ſilentium eſt. Hinc intelligimus quanto in pretio habenda ſit hæc Inſcriptio, quæ Libertam *a calamiſtro* profert, teſtaturque Corneliam Saloninam Gallieni Aug. uxorem peculiari liberta uſam fuiſſe, quæ crines illi calamiſtris inureret, ac, ut ſuſpicari licet, in galeæ modum diſponeret; ita enim in antiquis nummis exhibetur Cornelia Salonina Aug. calamiſtrata comâ, mitellaque ſeu diademate erumpente inſignitâ, atque adeo religioſe concinnatâ ut veram galeam faſciis diſtinctam repræſentare videatur.

## CLII.

COROLLARIA. Officium libertæ, quæ coronas conficiebat, quibus Cornelia Salonina Aug. uteretur. Corollas, tenues ſeu graciles coronas fuiſſe, floreas plerumque, quandoque e lamina ærea tenui, inaurata, atque inargentata Viri docti obſervarunt. Coronas tanto in uſu apud Veteres fuiſſe novimus, ut nihil fere niſi coronati agerent; Quare mirari ſatis nequeo cur tam raro *coronarii* in vetuſtis lapidibus occurrant; Tres enim dumtaxat coronarii noti erant; primus ex Gruter. pag. DCLI. 7. duo reliqui ex Fabret. Inſcr. Dom. Cap. V. n. 120. & Cap. X. n. 230. In poſterum accenſendæ erunt tres aliæ Inſcriptiones ex Ligorio in Gudii opere vulgatæ pag. CCXIII. 7. CCXVIII. 1. 2. quæ *Corollarias* exhibent; eas enim ab omni ſuſpicione vindicat Acte Corollaria, de qua loquimur.



Digitized by Google

A RATIONIBVS PATRIMO. Sæpenumero in antiquis Inſcriptionibus occurrunt liberti *a rationibus* vel *Procuratores Patrimonii*, nuſquam tamen, quod meminerim, *a rationibus Patrimonii*. Vetus Inſcriptio a Gorio vulgata in Columb. Liv. Aug. n. CXXXI. exhibet *Cuſtodem rationum Patrimonii*, quem Salvinius λογιςην, ſeu ut nos dicimus *Computiſta* ſtatuit fuiſſe. Verum haud plana res eſt. Achilles Gallieni Aug. lib. *a rationibus Patrimonii* vere λογιςης, ſeu *Computiſta* fuit, rationeſque Patrimonii Auguſti accepit; contra Bromius ille *cuſtos rationum Patrimonii* Liviæ Aug. cuſtodiſſe videtur non confeciſſe tabulas rationum Patrimonii, quæ in peculiari tabulario aſſervabantur, ut docent Gruterianæ Inſcriptiones a Gorio in annotatione ad eam Inſcriptionem cumulatæ.

## C L I I I.

ILlud animadverſione dignum eſt in hac Inſcriptione, quod ſervile nomen Græci fortaſſe generis libertæ Græcis literis expreſſum ſit. Quum Cornelia hæc P. L. dicatur a P. Cornelio Salonino Valeriano libertatem accepiſſe conſtat; hanc enim Inſcriptionem ex eodem Columbario, quo ſuperiores, Roma huc delatam fuiſſe & Paſſerius lapidis dominus teſtatur, & marmoris ipſius color, quem *patina* dicimus, ac literarum forma perſpicue indicant.

## C L I V.

HÆc quoque Inſcriptio diligenter expendenda eſſet; verum ſi quid intactum, vel non ſatis illuſtratum reliquero, plura ac meliora præſtabit eruditiſſimus marmoris dominus Jo: Baptiſta Paſſerius in Prolegomenis ad fictiles ſui Muſæi Lucernas; quas ut tandem edere conſtituat, quotquot antiquariæ rei cura tangit, enixis votis rogamus. Illud autem teſtatum omnibus hic volo, ſexcentas ferme lucernas, ineditas omnes, forma, inſcriptionibus, anaglyphis inſignes, præ notarum, quibus illuſtrantur, doctrina & elegantia, nullo pene in pretio habendas eſſe. Sed ad Inſcriptionem.

AGATOBVLVS. F. L. PYRRVS. *Fauſti Libertus.* Fauſti prænomen litera F. contineri exiſtimo, quod auctoritate antiquorum lapidum in Romanorum prænominum catalogo recenſuit Sigonius de Nomin. Rom. & adverſus Robertelium defendit Fabrettus Inſcr. Dom. Cap. I. pag. 22. FIGV-

Digitized by Google

FIGVLVS SIGILLATOR. Quemadmodum *ſcyphi ſigillati* apud Ciceron. lib. IV. in Verrem cap. 14. non ſunt ſcyphi annulo, ſeu ſigillo obſignati, ſed, ut recte animadvertit ibi P. Manutius, emblematis, parvis ſignis ac ſimulacris inſigniti, ita *figulus ſigillator* haud intelligendus eſt figulus aliquis, qui publica authoritate figulina opera obſignaret, ſed *figulus ſigillarius*, ſeu *ſigilliriarius*, qui fictilia ſigilla faceret, parva nempe ſimulacra, vel emblemata, archetypa etiam, quibus *figuli*, ſeu *fictiliarii* ut habet vetus Inſcriptio Grut. pag. DCXLIII. 1. ſive *figulinarii*, ut Gudiana ex Ligorio pag. CCXCIX. 3. in officinis ſuis uterentur. Plaſtice, ſive *Cretaria ars*, cujus nobis *negotiatores* exhibent Germanæ ac Batavæ Inſcriptiones apud Grut. pag. CXII. 2. DXLI. 2. 3. 4. & Reineſ. Cl. I. 177. ſummo humanarum rerum bono inventa, avide ab Italis accepta, ab Etruſcis ad Romanos tranſiit, cujus amplificationi inſtituto Romæ figulorum Collegio Numa Rex ſedulo proſpexit, ut Plinius docuit lib. XXXV. cap. 12. Ac quamquam quidem ſigilla plerumque e metallo fierent, unde in antiquis Inſcriptionibus *Flaturarii Sigillariarii* Gruter. pag. DCXXXVIII. 6. *Fabri Flaturarii Sigillariarii* Fabrett. Inſcr. Dom. Cap. X. n. 415. Reineſ. Cl. XI. 89. quam iterum in Doniano Syntagmate recuſam vidimus Cl. VIII. 15., ex creta tamen, & argilla plurima facta fuiſſe, nemo ibit inficias. Martialis in Apophoretis duo fictilia ſigilla memorat; en epigrammata cum ſuis titulis.

*Hercules Fictilis*. CLXXVIII.

*Sum fragilis; ſed tu, moneo, ne ſperne ſigillum.*
*Non pudet Alciden nomen habere meum.*

*Sigillum Giberii Fictile*. CLXXXII.

*Ebrius hæc fecit terris puto monſtra Prometheus.*
*Saturnalitio luſit & ipſe luto.*

Sed quid veteres Scriptores ſollicito, quum ſexcenta fictilia ſigilla proferre poſſim, quæ viſuntur adhuc in eruditorum Muſæis? mitto mea; mitto etiam illa, quæ vidi olim penes Jo: Baptiſtam Gervaſonium mihi, dum viveret, in primis carum; apud quem Serapidis ſigillum fictile ſervabatur, quod inauratum olim fuiſſe conſtabat. Verum ea præterire non poſſum, quæ paucis ab hinc annis inter plurima vaſculorum fragmenta reperta ſunt; tria nempe Palladis ſigilla exquiſitâ arte varioque cultu elaborata, palmi altitudinem attingentia; ſecus pedes habent hærentem lucernulam, & hanc quidem uſtulatam, atque

que ita collocatam, ut non uſibus hominum, ſed religioſo cultui deſtinata illa videantur. Domeſtici fortaſſe Lararii Numina fuerunt tenuis alicujus hominis, cui aureos, argenteos, vel æreos Deos emere fortuna negaverat. Hæc in ampliſſimum fictile Muſæum ejuſdem Paſſerii inlata ſunt, ubi triginta ferme aliis fictilibus ſigillis aliunde advectis præſident, ſummaque cum voluptate aſpiciuntur.

## C L V.

ORejia gens nondum nota Inſcriptioni pretium facit.

ATO



*Lucerna fictilis Muſæi Paſſerii.*

CLVII.

## CLVII.

ISTERCORIO. Stercoria gens in Veterum Chriſtianorum Monumentis ſæpenumero occurrit. V. Boldett. pag. 363. 377. 391. 418. 480. 494. *Iſtercorius* vero in Inſcriptione noſtra dicitur, quemadmodum *Iſtercoria* in Boldetto pag. 490. Nominibus ab SP, SC, ST, vel duplice alia incipientibus præpoſitum olim I fuiſſe animadverterunt jam, pluraque hujuſce moris exempla cumulaverunt Reineſ. Cl. XX. 328. Bonarrot. *Vetr. Antich.* pag. 112. & nuperrime P. Lupi in Commentario ad Epitaphium S. Severæ pag. 169.

ANIS pro annis. Hæc autem in ſequiorum ſæculorum monumentis ſive marmorariorum errore, ſive perverſo loquendi uſu, adeo communia ſunt, ut vix obſervatione digna videantur.

## CLVIII.

CL. Boldettus pag. 492. hanc habet Inſcriptionem

AVRELIO ERCVLIO

BENEQVENTI

ne tamen illam eamdem cum hac noſtra exiſtimem, illud eſt in cauſſa, quod Boldetti Inſcriptio ex cœmeterio Lucinæ eruta ſcribitur, meam autem ex cœmeterio Commodillæ petitam certo ſcio.

AURELIO. U rotundam in aliis quoque barbariſſantis ſæculi Inſcriptionibus deprehendi. Ita profecto exhibetur in Inſcriptione apud P. Lupi p. 133.

BENEQVENTI. *Benequieſcenti*. Mirum quot modis verbum *quie-*

Digitized by Google

*quieſco* in his Chriſtianis Inſcriptionibus torqueatur. *Queſce* pro *quieſce* Boldet. pag. 395. *queſcet* pro *quieſcit*. Boldet. pag. 346. 428. inde *Benequeſcenti*. Boldet. pag. 317. 369. *Queſquet* pro *Quieſcit*. Boldet. pag. 431. *Queſquas* pro *Quieſcas* in annulo antiquo apud Bonarrot. *Vetr. Antich.* pag. 170. iterum edito a doctiſſimo & amiciſſimo Viro Antonio Franciſco Gorio Par. I. Inſcr. Etr. Urb. p. 314. inde *Benequeſquenti* apud eumdem Bonarrotium loco laud. & Boldet. pag. 83. 432. 433. & P. Lupi in Comment. toties laudato pag. 134. Demum *Ceſque* pro *Quieſce* Boldet. pag. 360. 397. 431. 432. 456. inde *Beneceſquenti*. Boldet. pag. 461.

UISSIT. ANNU. Literam S geminatam loco X uſurpatam videmus in veteri Inſcriptione apud Grut. pag. CCXCVIII. 4. quam Auguſti ævo poſitam Vir doctiſſimus cenſet. In Chriſtianorum certe monumentis hæ permutationes frequentiſſime occurrunt. Quas omnes ſi quis marmorariorum oſcitantiæ tribuendas eſſe contenderet, is profecto mea ſententia longe aberraret. Duo autem in cauſſa fuiſſe exiſtimo, cur in his ſequioris ævi monumentis adeo latinæ linguæ puritas & orthographia deformata ſit. Primo linguæ ipſius mutatio; progredientibus enim ætatibus omnes linguas ſenſim varias, ac magnas mutationes habere ipſa docet experientia & nos alibi paullo fuſius oſtendimus; deinde marmorariorum conſuetudo in lapidibus non pura, exquiſita, electa, ſed uſitata, trita, atque, ut Quintilianus ait, vulgaria & quotidiana verba inſcribendi, ac eo quidem prorſus modo, quo communi vulgi ſermone recitabantur; cujus quidem rei certiſſimum exemplum hæc eadem Inſcriptio ſuppeditat ſequenti verbo ANNU: non enim aliam ob cauſſam M litera ommiſſa eſt, niſi quod pronunciando quodammodo non proferebatur; quod, niſi ex Quintiliano Viri docti animadvertiſſent, perpetua, & firma Poetarum conſuetudo elidendi ſyllabas illas, quæ M litera clauderentur, certe nos docuiſſet. Quamobrem ab his ſollicite conquirendis, deinceps abſtinebo.

## C L I X.

I*Rene cum dilectione*; ita *cum Deo*. Boldett. pag. 419. 420. frequentior eſt clauſula *in Pace* ſeu EN EIPHNH, quæ idcirco hic fortaſſe ommittitur, ne ex nomine mulieris verborum luſus, quem tanto opere inepti quærunt, oriri poſſet. Acclamationes Chriſtianas, quæ in lapidibus Cœmeteriorum occur-

Digitized by Google

occurrunt, illuſtrarunt jam Sen. Bonarrotius *Vetr. Ant.* Tab. 24. fig. 2. & P. Lupi in Comment. ad Epitaph. S. Severæ. Inſcriptionem claudunt anchora & avicula, Chriſtianorum ſymbola, quorum, aliorumque quæ deinceps occurrent, ab Auctoribus Romæ ſubterraneæ, a quibus pleniſſime illuſtrata ſunt, explicatio erit petenda.

CLXI.

SAnctas genoroſæ Martyris reliquias marmor hoc clauſiſſe, palma in eo ſculpta docet; V. Cl. Boldett. lib. I. cap. 53. & ſeqq.

CLXII.

DOlendum ſane pulcherrimam, pluribuſque rebus ſcitu digniſſimis refertam Inſcriptionem ab impiis hominibus, quos appellare poſſem, tam ſæve truncatam fuiſſe. In Chriſtianorum Monumentis non raro femina manibus expanſis repræſentatur, orationis ſymbolum, ut Viri docti animadverterunt. Supra ipſius mulieris caput hieroglyphicum quoddam viſitur, quod nuſquam alibi me deprehendiſſe memini: fortaſſe Sacroſanctum Divinæ Triadis Myſterium exprimere felices illi Fideles voluerunt, cui in perpetuis precibus inhærere tenemur; Columba ramum olivæ præferens frequens eſt; non ita frequens ciſtula Sacris Evangeliorum Voluminibus recondendis accomodata. Additur ultimo loco panis quadrifidus, quo ineffabile Euchariſtiæ myſterium denotaſſe Chriſtianos nemo neſcit.

CLXIII.

PRæclariſſima hæc Inſcriptio non huc Româ advecta fuit ut reliquæ omnes Chriſtianæ; eam enim in cella vinaria egregii Chirurgi Philippi Bertuccioli fortuito a ſe repertam, Paſſerius noſter, ſumptibus, precibus, laboribus minime parcens, Muſæo ſuo adjungendam curavit. Inde ſuſpicari poſſumus in Cryptas Piſaurenſes aliquando penetraſſe aliquem, atque ex iis pretioſum marmor detuliſſe. Faxit Deus ut quemadmodum his ipſis diebus Veterum Piſaurenſium Sacrum Lucum inſanientis populi Votis, Idolis, Aris, Oblationibus refertum, poſt tot ſæcula detegere mihi contigit, ita vere Sacra Chriſtianorum Monumenta reperire etiam contingat, eaque oſculari, primoſque illos Chriſti Athletas, quorum ſanguine



Digitized by Google

guine Fides noſtra irrigata eſt, humili corde venerari.

Inſcriptio ita reddi poteſt. *Dioſcorus Nauclerus hic dormit in Pace. Vixit annos LXXVI. Depoſitus IX. Kal. Martii Conſulatu Arcadii Cæſaris & Rufini.*

ΝΑΥΚΛΗΡΟΣ. De Naucleris. V. ſupra Not. XLIV.

ΙΑΡΑΚΑΤΙ. Marmorarii proculdubio mendum hic ſubeſt.

ΑΡΚΑΔ. Κ. *Arcadii Cæſaris*. Verum Arcadius Auguſtus a Patre appellatus fuerat jam inde ab anno Ch. CCCLXXXIII. quare ſuſpicor marmorarium loco B, quo ſecundus Arcadii Conſulatus deſignabatur, K inſculpſiſſe. Alter ex Arcadii Conſulatibus hic fuit, quem Rufino collega geſſit A. Ch. CCCXCII. Equidem maximum Inſcriptionis pretium hinc oritur, non modo enim par hoc Conſulum nuſquam alibi quod ſciam reperitur, ſed reperiri poſſe vix credo; quum enim Rufinus hic, tamquam proditor, ac præcipuum Imperii exitium, occiſus fuerit, illius nomen abolendum erat, atque e publicis monumentis eradendum ex ipſius Arcadii & Honorii conſtitutione, qua *funeſtorum Conſulum nomina* jubent *aboleri*; tantum beneficium hiſtoriæ præſtant Chriſtianæ Inſcriptiones, quæ ſub aſcia dedicatæ, ſeu ut apertius dicam, a marmorariorum officina ad Sacra Cœmeteria delatæ, ibique reconditæ nulli deinceps injuriæ patebant.

## C L X I V.

Sanctum Servatoris noſtri Monogramma haſta tranſverſa decuſſatum, ut præter duas initiales nominis literas, crucem etiam reparationis noſtræ ſymbolum repræſentaret, non equidem ſingulare eſt in hac Inſcriptione; itidem enim expreſſum vidi in pluribus aliis Chriſtianis lapidibus; illud peculiari obſervatione dignum eſt quod in Boldetti opere occurrit pag. 344. fauſta enim precatio inter hujuſmodi Monogrammatis haſtas inſculpta eſt in CRISTO BIBAS. Illud mihi monendum ſupereſt myſtici hujus ſigni plurimas, neque adhuc obſervatas formas ſupereſſe in antiquis Chriſtianorum Lucernis, quæ in Paſſerio Muſæo ſervantur.

## C L X V.

LOCVS PVBLIC. *Sepulchrum Publicii*; locos enim appellabant Veteres Chriſtiani ſepulchra illa, ſeu loculamenta in parietibus ad cadaver excipiendum excavata. V. Comment.

ad

ad Epitaph. S. Severæ Mart. pag. 2. Explicari etiam poteſt *Locus Publicus*; in ſacris enim cœmeteriis, quemadmodum illuſtres familiæ cubicula gentilitia habebant picturis, ſculpturiſque ornata, ita loca quædam plebi, vulgoque aſſignata erant, quæ *poliandra* dicebantur.

ÆRA CCCCCLI. Annos ab Incarnatione Chriſti numerandi rationem, quam vulgarem Æram dicimus, inſtituit Dyoniſius cognomento Exiguus A. Ch. DXXV. vel DXXVI.; ac quamquam quidem ſingulares cenſendæ ſint illius ævi Inſcriptiones, quæ Vulgari Æra ſignantur, tamen alia apud Grut. extat triennio noſtrâ antiquior, anno nempe vulgaris Æræ DXLVIII. poſita, quam vide pag. MLIV. 4. Ea enim, quæ annum Æræ DIII. habet pag. MXLIX. 5. mendoſa profecto exiſtimanda eſt, quum nondum Dioniſius Anno Ch. DIII. vulgarem æram inſtituiſſet.

## CLXVI.

ITa ſuppleri poteſt hæc Inſcriptio. *In Pace anima dulcis Pauli, ſeu Paulini Presbyteri Sancta Priſcilla.* Equidem antiquior mihi videtur hæc Inſcriptio celeberrima illa, quæ ad D. Petri in Vinculis viſitur, adeoque ſummo in pretio habenda, quum Presbyterum Romanæ Eccleſiæ cum ſuo titulo nobis exhibeat.

## CLXVII.

LAtinas Inſcriptiones Græcis literis inſculptas ſæpenumero fuiſſe Viri docti animadverterunt, cauſſaſque hujuſce rei inveſtigarunt, quos exſcribere haud eſſet operæ pretium. Inſcriptio iſta literis latinis ita ſe habet. *Romana Dulciſſima, quæ*, vel *hic requieſcit in diem Judicii depoſita III. Kal. Martii Var. Tertu.* Varrone nempe, ſeu Varari & Tertullo, quorum Conſulatus, quem geſſerunt A. Ch. CCCCX. celebris eſt ob Urbis direptionem cladem que ab Alarico Gothorum Rege inlatam.

*In Diem Judicii*. In pleriſque Chriſtianorum monumentis Reſurrectionis ſpes variis modis deſignatur; in hac tamen Inſcriptione citra omne arcanum requieſcere dicitur Romana *in diem Judicii*.

## CLXVIII.

HOc eſt. *Flavio Domino dulciſſimo vixit annos quinque Acceſias Pediſſequus fecit Pax tibi in Cœlo.*

KIPIO. Litera I loco Y uſurpata inclinantis jam ſæculi indicium eſt. Plura ejuſmodi in Inſcriptione Dioſcori Naucleri.

ΠENTA. Annorum numerus numeralibus notis efferri ut plurimum ſolet.

COI EN OYPANω. Raritatem lapidis LXXXVI. cap. VIII. Inſcr. Dom. Fabretti minuit Inſcriptio noſtra, quæ clarius quinquennem puerum in Cœlo beatarum mentium conſortio frui prædicat.

## C L X I X.

ITa videtur legenda hæc Inſcriptio. *Locus Tertuli Vixit Annos XXI.*; animadverſione profecto dignæ ſunt literæ hujus Inſcriptionis; non ſolum enim exciſæ ſunt, ſeu linea dumtaxat circumambiente deſignatæ, verum etiam novo ſane modo inter ſe connexæ.

## C L X X I.

LIteris item Græcis Latina hæc Inſcriptio exarata eſt; quæ ita reddi debet. *Augentio*, ſeu *Auxentio filio dulciſſimo & Benemerenti Aſtianus natione Bindelicus Decurio Scutariorum, & Eudocia Nice Parentes in Pace. Vixit Ann. L. Menſ. I.* Raro quidem exemplo Parentes iſti filium quinquagenario majorem extulerunt.

PHIΛIω; prima hujus vocis litera non *rho* Græcum exiſtimanda eſt, ſed p Latinum majuſculum; non modo enim ut F literam ſonet, H adjungitur, verum etiam infra loco P uſurpatur in voce *Parentes* & *Pace*; inde facile conſtat Marmorarium Latinas Græcaſve literas in hâc Inſcriptione promiſcue inſculpſiſſe; nam præter memoratam literam *p* viſitur *r* minuſcula, & notæ numerales Latinæ.

*Decurio Scutariorum*. Scutarii dicebantur Scutorum fabricatores; inde Plautus in Epidico Act. I. Sc. I. v. 35.

*Id modo videndum eſt, ut materies ſuppetat ſcutariis.*

Verum quum nulla Romæ Scutariorum fabrica fuerit, ſed Veronæ dumtaxat ac Cremonæ intra Italiam, ut docet Notitia Imperii Occidentalis, aliter interpretanda eſt Inſcriptio. Inter Palatinas Scholas, ſeu corpora militum, qui Palatium cuſtodiebant, Scutarii recenſentur, ita dicti quod ſcuto potiſſimum uterentur, eoque totum corpus protegerent, ut obſervat Panciroi. cap. 64. in Not. Imp. Orient. Scutarios *Principem ſtipare ſolitos* fuiſſe tradit Zoſimus lib. III. cap. 29. Tres illorum

Scho-

Digitized by Google

Scholas Romæ fuiſſe ſub diſpoſitione Viri Illuſtris Magiſtri Officiorum teſtatur Notitia Occidentalis Imperii. Scholam ſecundam Scutariorum memorat vetus Inſcriptio Cœmeterialis apud Arringhium lib. III. cap. III. n. 9. quam male de Schola fabricenſium exponit, quod Reineſium non obſervaſſe miror, qui eamdem Inſcriptionem Cl. XX. 61. recudit. Scholam tertiam marmor Gruterianum pag. MLII. 11. exhibet. Quod autem munus in Schola Scutariorum Decurionatus nomine indicetur, non ita facile ſtatui poteſt. Ego quidem exiſtimo vel decanatum ſignificari, quia nempe Aſtianus iſte decem militibus præeſſet, totidem enim milites contubernium conſtituebant, cui ſuum caput aſſignatum erat, ut Vegetius docet lib. II. cap. 8. *erant decani decem militibus præpoſiti, qui nunc caput contubernii vocantur*: vel honorarium titulum; in his enim Palatinis ſcholis milites ſpecioſis titulis decoratos fuiſſe diſcimus ex l. *Matriculam* 3. C. *de Agent. in rebus*, qua inter cætera jubet Imperator *ne ducenarii pluſquam quadraginta octo in ſingulis* (Scholis) *habeantur in poſterum;* Quod niſi de honoraria appellatione intelligatur, ferri non poteſt. Ducenarii enim ducentis hominibus præerant Vegetio teſte lib. II. cap. 8. *Item primus haſtatus duas centurias ideſt ducentos homines ducebat in acie ſecunda, quem nunc ducenarium vocant.* At ſi quadraginta octo illi ducenarii ducentis quiſque hominibus præfuiſſent, ſingulas ſcholas ex octo militum millibus conſtaſſe dicendum eſſet, quod falſum eſt; non enim pluſquam quadringentos milites unamquamque ſcholam continuiſſe, æquali univerſorum Scholarium, quorum numerum tradidit Svidas, diviſione facta obſervat Panciról. in Notitiam Imp. Orient. Cap. LXIV.

## CLXXX.

MEROBAVDE. Hoc eſt anno Ch. CCCLXXVII. tunc enim primum Conſulatum geſſit Merobaudes cum Gratiano Aug. IV.

## CLXXXI.

ANR. Xϛ. *Annorum XVI.* ita enim eam notam explicandam poſt Reineſium docuit Fabrettus Dom. Inſcr. Cap. VIII. p. 540.

CLXXXII.

Digitized by Google

## CLXXXII.

INſcriptio hæc Cl. Fabretti olim fuit, atque ab eo vulgata Cap. VIII. Inſcr. Dom. num. CXI. Innocentii Bonellii Viri eruditiſſimi munere apud me nunc aſſervatur. Ita illam vertit Fabrettus *ſemper memorabili Feliciſſimo vixit annum & menſes decem.* Atque ita illuſtravit.

*Neceſſe eſt hic primam lineam una literula ſupplere, ut legatur* ΑΕΙΜΝΗCΤω (*quod & in alia* MARCIAE *erat advertendum*) *& explicetur IN AEVVM MEMORABILI. Ex iſtis frequentibus Grammaticis licentiis ipſiſque latinis nominibus* Feliciſſimi & Flaviæ Gemellæ *in ſequenti Inſcriptione, conjectura inſurgit iſtos non Græcos, ſed Græcorum amatores appellandos.*

ενιαυτον *abſolute pro anno uno Græcos quoque uſurpaſſe hinc habetur eadem ſermonis elegantia, qua Ciceronem inter noſtros uſum vidimus ad Inſcriptionem hujus Cap. XVIII.*

FINIS.



Digitized by Google

# INDEX IN MARMORA PISAURENSIA.

DEORUM DEORUMQUE NOMINA, TEMPLA, &c. SACERDOTES, &c.

§. I.


*Ædes Cereris.* Num. 2.
*Augur.* 30. 40. 41.
*Auguſtales.* 34. 46.
*Bacchus.* 108.
*Bona Dea.* 6.
*Ceres.* 2.
*Dii Auguſti* 8.
*Flaminica.* 32.
*Piſauri & Arimini.* 28.
*Haruſpex Fulguriator.* 27.
*Hercules Aug. Conſors D. N. Aureliani Aug.* 4.
*Liber Pater.* 3.
*Pontifex.* 30. 34. 35.
*Maximus* 20.
*Præfectus Sacrorum.* 30.
*Priapus.* 7.
*Sacerdos.* 30.
*Bacchi.* 108.
*Signum Silvani cum baſi.* 5.
*Signa Deorum Auguſtorum.* 8.
*Silvanus.* 5.
*Templum Priapi.* 7.
*Valvæ Templi Deorum Auguſtorum.* 8.
*Venus.* 129.
*VIVIR Auguſtales.* 38. 62.
*VIViri & VIVir Auguſtales.* 8. 48.


MAGISTRATUS HONORES.

§. II.


*Ædilis.* 43.
*Cerialis.* 36.
*Curulis.* 1. 39.
*Conſul.* 20. 32. 69.
*Deſignat.* 20.
*Bis.* 69.
*IIII* 148.
*Curator Kalendarii.* 38.
*Rer. Public. Piſaur. & Faneſt.* 4. 22. 36.
*Viarum.* 36.
*Decurio.* 52.
*Decuriones* 34. 38. *& paſſim* L. D. D. D.
*Decurionatus.* 44.
*Ducenarius.* 4. 22.
*Duovir.* 53.
*IIVIR.* 31. 34. 35. 38. 41. 43. 46. 49.
*Quinquennalis.* 35.
*III. Vir.* 13.
*Juridicus Regionis Tranſpadanæ.* 36.
*Legatus Provinciæ Achajæ Prat.* 36.
*Magiſter Vici* 132.
*Magiſtri Vici.* 9. 10. 11.
*PAt. III* F. M. 30.
*Patrona Municipii Pitinatium Piſaurenſium.* 28.


Patro-

Digitized by Google

*Patronus Coloniæ.* 33. 58.
*Coloniarum Piſaur. & Faneſt.* 36.
*Collegii Fabr.* 40.
*Collegiorum Centonar. & Dendrophor.* 1.
*Fabr. Cent. Dend. Navicul. & Vicimag. Colon. Piſaur.* 44.
*Jure Municipii Piſaur.* 45.
*Municipii N.* 30.
*VIVir. Aug. & Colleg. Fabr. Cent. Navicular.* 38.
*VII Vicor. item Collegior. Fabr. Cent. Dendr. Colon. Arim.* 44.
*Praef.* 45.
*Praefectus Alimentor.* 36.
*Fabrum.* 1.
*Urbi.* 69.
*Præpoſitus Umbriæ Piceni & Apuliæ.* 55.
*Prætor deſignatus.* 33.
*Proconſul.* 20.
*Proprætor.* 13.
*Prov. Cretæ Cyrenaicæ.* 36.
*Q̄.* 34. 38. 43.
*Queſtor.* 31. 36.
*Aliment.* 38.
*Q̄Q̄.* 34.
*Quinquennalitas.* 28.
*Sexvir.* 52. 148.
*Vici Magiſtri.* 37. 44.
*VIVir.* 114.

BELLICA, &c.

§. III.

*Cohors I. Prat.* 60.
*VII. Prat.* 59. 60.
*Cohortes IIII. Civium Romanorum.* 35.
*Commilito.* 150.
*7 Leg. III. Cyr.* 54.
*7 Leg. VII. Ge. F.* 61.
*Decurio Scutariorum.* 171.
*Eq.* 30.
*Equo Publico.* 31. 57.
*Eques Singularis Aug.* 149.
*Triplicarius Aurel. A.* 150.
*Legatus Leg. X. Gem. Gordian.* 36.
*Legio III Cyr.* 54.
*IIII Flavia.* 36. 55.
*VII Ge. F.* 61.
*VIII Veteran.* 183.
*X Gem. Gordian.* 36.
*XIII.* 58.
*Miles.* 59. 60. 183.
*Praef. Claſſis.* 35.
*Cohortium IIII Civium Romanor.* 35.
*Equitum bis.* 35.
*Mil. Leg. XIII.* 58.
*PP. Leg. IIII Flav.* 55.
*Primipil.* 35.
*Scutarii.* 171.
*Tribunus Militum.* 35. 46.
*Laticlavius Leg. IIII Flav.* 36.
*Veteranus.* 56. 183.

OFFICIA, ARTES, &c.

§. IV.

*A Calamiſtro.* 151.
*Gemma potoria.* 151.
*Rationibus Patrimonii.* 152.

*Ar-*

Digitized by Google

*Archiater*. 64.
Ἀκόλουθος. 168.
*Conſerva*. 110.
*Corollaria*. 152.
*Decurio*. 136.
*Figulus Sigillator*. 154.
*Lanarius*. 9. 10. 11.
*Libertus paſſim*.
Ναύκληρος 163.
*Patronus paſſim*.
*Presbyter S. Priſcillæ*. 166.
*Rhetor*. 63.
*Servus*. 7.
*Structor*. 9. 10. 11.
*Verna*. 100.
*Veſtiarius*. 9. 10. 11.

COLLEGIA, CORPORA, ORDINES.

§. V.

*AUguſtales*. 34.
*Collegia*. 44.
*Centonariorũ*. 1. 38. 41. 44. 148.
*Dendrophororum*. 1. 44.
*Fabrum*. 38. 39. 40. 41. 44.
*Naviculariorum*. 38. 44.
*Coloni Coloniæ Juliæ Felicis Piſaur*. 43.
*Municipes Caſtri Ripenſis Poſſeſſores & Incolæ*. 30.
*Ordo ſplendidiſſimus Arimin*. 44.
*Piſaur*. 44.
*Plebs*. 41.
*Piſaurenſis*. 44.
*Urbana*. 31. 34. 38. 42. 43.
*Urbana Piſaurenſium*. 28.
*Piſaurenſes*. 20. 21.
*Reſpublica Piſaur. & Fan*. 4. 22. 36.
*Vicani Vicorum*. 7. 41. 44.
*Vici Magiſtri Coloniæ Piſaurenſ*. 44.

GEOGRAPHICA.

§. VI.

*AChaja*. 36.
*Apulia*. 55.
*Ariminum*. 28. 44.
Ἀφροδισιεὺς. 15.
*Caſtrum Ripenſe*. 30.
*Chartago*. 17.
*Creta*. 36.
*Fanum*. 4. 22. 36.
*Hiſpania*. 35.
*Iberus*. 17.
*Metaurenſis Ager*. 30.
*Picenum*. 55.
*Piſaur*. 1. 4. 20. 21. 22. 28. 30. 36. 43. 44. 45 61. 78. 131.
*Pitinates Piſaurenſes*. 28.
*Pœnus*: 17.
*Suaſani*. 148.
*Toloſenſis*. 57.
*Tranſpadana Regio*. 36.
*Tuder*. 183.
*Verona*. 59. 60.
*Vindelicus*. 150. 171.
*Umbria*. 55.
*Urbs Roma*. 17.

TRIBUS ROMANÆ.

§. VII.

*Cam*. Camilia. 31. 34. 43. 52 59. 130. 137. 138. 141.
*Pal* Palatina. 1. 30. 35. 38. 39. 40. 41 48.
*Pompt*. Pomptina. 36.
*Publicia*. 60.
*Sab*. Sabatina. 35. 101.
*Str*. Stellatina. 27.

*Vo.* Voltinia. 57.

NOMINA APPELLATIVA AFFECTUS, &c.
ET QUÆ AD SEPULCHRORUM MEMORIAM, &c.

§. VIII.

*ÆDiculæ.* 86.
*Alumnæ.* 72.
*Alumno dulciſſimo.* 112.
*Amico optimo.* 59.
*Benemerenti* paſſim.
*Cognatæ.* 82.
*Cognato.* 82.
*Conjugi.* 80. 92.
*Benemerenti.* 82. 84. 93. 96. 98. 161.
*Cariſſimæ.* 90.
*& Incomparabili.* 83.
*Fideliſſimæ.* 97.
*Kariſſimæ, cujus obſequiis inparem me profiteor.* 89.
*Optimæ.* 94.
*Conjugi ſuo Benemerenti homini bono.* 87.
*Dulciſſimo, per cujus beneficio, & benignitate impar fui.* 94.
*Optimo de ſe benemerenti.* 67.
*Conſorti.* 140.
*De ſuo.* 117.
*Delicatis.* 111.
*Domus æterna.* 74.
*Familiæ.* 66.
*Filiis.* 66.
*Piiſſimis.* 70.
*Filieis ſueis.* 65.
*Flio dulciſſimo.* 69. 99. 155. 157. 164.
*& benemerenti.* 171.
*& deſideratiſſimo, cujus mors decepit Patrem ſuum.* 72.
*pientiſſimo.* 77.
*Fratri.* 48. 83. 101. 149.
*Benemerenti.* 103.
*Cariſſimo.* 99.
*Fratres Pientiſſimi.* 180.
*Hoſpitæ Sanctiſſimæ.* 54.
Κιριο γλικι.... 168.
*Lib. Benemerenti.* 134.
*Optime de ſe merito.* 61.
*Optimo & innocentiſſimo.* 112.
*Libertis Libertabus, Poſteriſque eorum.* paſſim.
*Locum emptum latum p. IIII. longum p. VIII.* 60.
*Macerias cum Ædiculis & Ollariis ſua impenſa circumcluſit.* 86.
*Marito cum quo bene vixit.* 55.
*incomparabili.* 58.
*Mater dolens & mœrens.* 65.
*Matri.* 72. 81.
*Dulciſſimæ.* 82.
*Obſequiis ſuis omnibus amantiſſimo.* 49.
*Ollas.* 133.
*Ollaria.* 86.
*Oſſuaria.* 133.
*Parentes.* 68. 75. 157. 171.
*infeliciſſimi.* 71.
*Parentibus.* 78.
*dulciſſimis.* 79.
*Pater.* 76.
*ipſe Patronus.* 58.
*Patri dulciſſimo.* 55.



Digitized by Google

*Kariſſimo.* 58.
*Reliquiæ corporis cremati conditæ.* 112.
*Scripſit nomine ſuo & Juliæ Attalidis Cognatæ.* 82.
*Soceræ incomparabili.* 106.
*Sorori.* 81.
*Benemerenti.* 100.
*Pientiſſimæ.* 102.
*T. F.* titulum fecit. 66.
*Titulum poſuit.* 149.
*Ex Teſtamento.* 60. 104. 114. 125. 137. 138. 139.
*Tutores filiæ.* 156.
*Uxori ſuæ benemerenti.* 91.
*Dulciſſimæ.* 85.
*V.* vivus. 132.
*V. F.* vivus fecit. 81.
*Vivos fecit.* 116.
*Se bibo comparabit.* 96.

HISTORICA.

§. IX.

*Æra vulgaris CCCCCLI.* 165.
*Balnea Piſaurenſia.* 34.
*Biga P. Alſio primo omnium poſita.* 31.
*Chartaginenſes ſuperati.* 17.
*Colonia Piſaurum.* 1. 36.
*Julia Felix Piſaurum.* 43.
*Epulum datum dedicatione valvarum & ſignorum Deorum Auguſtorum.* 8.
*Epulum quotannis dividendum die Natali C. Titii Maximi ex Teſtamento C. Titii Valentini Patris.* 43.
*Eraſum nomen Getæ.* 19.
*Imp.* 28.
*Fons aquarum amœnus.* 14.
*Honor Duumviratus induſtrie a C. Sentio adminiſtratus.* 41.
*Largitiones.* 31. 34. 40. 44.
*Largitioni pecuniæ adjectus panis & vinum, item oleum in Balneis.* 34.
*Magiſter Imperatorum Luci & Antonini M. Cornelius Fronto.* 69.
*Metaurenſis ager bellorum incendiis amiſſus a M. Accio reſtitutus.* 30.
*Municipium Piſaurenſe.* 45.
*Porticus Piſauri.* 9. 10. 11.
*Reſpublica Piſaurenſis.* 4. 22.
*Termini Coloniæ Piſaurenſis ex S. C. reſtituti.* 13.
*Teſtamento C. Titii Valentini decies centena millia Col. Jul. Fel. Piſaur. relicta.* 43.
*Vectigalia a M. Accio conſervata.* 30.
*Victoria Aureliani Aug.* 22.

IMP. CÆSARUM NOMINA, &c.

§. X.

*Divus Nerva.* 38.
*Imp. Cæſ. T. Aelius Hadrianus Antoninus Pius Aug. Coſ. IIII. PP.* 148.
*Imperatores Lucius & Antoninus.* 69.
*Diva Fauſtina Auguſta.* 18.
*Julia Auguſta Mater Caſtror & Auguſtorum.* 19.
*Imp. Cæſ. M. Jul. Philippus Pius Fel. Aug. Pont. Max. Tr. P. Coſ. & Coſ. Deſ. PP. Procoſ.* 20.
*Gallienus Aug.* 151. 152.
*P. Cornelius Licinius Valerianus.*

*nus*. 21.
*Aurelianus Invictus Auguſtus*. 4. 22. 150.
*Defenſor pacis & conſervator Imperii Romani D. N. Conſtantius Max. Victor ac Triumphator ſemper Aug.* B. R. P. N. 23.
*Fundatores Conſervatores Imperii Romani DD. NN. Valentinianus & Valens Principes Maximi, ac Triumphatores Auguſti Imperatores*. 24.
*Arcadius C.* 163.
*Imp*.....nomen eraſum. 28.
*Imp. Cæſ.* 26.
*Auguſta*. 25.

CONSULUM PARIA CONSULES.

§. XI.

*Arcadius. Rufinus. Coſ.* 163.
*Varro, ſeu Vararis. Tertullus. Coſ.* 167.
*M'. Acilius Glabrio Coſ.* 32.
*Antoninus Pius Coſ.* IIII 148.
*Aufidius Victorinus bis Conſul*. 69.
*M. Cornelius Fronto Conſul*. 69.
*Fronto Conſul*. 69.
*Merobaudes*. 180.
*Philippus Aug. Coſ. & Coſ. deſign.* 20.

NOMINA ET COGNOMINA.

§. XII.

A

*Abaſcantus*. 92.
*Abejena C. F. Balbina*. 28.
*Abucius Pius*. 150.
*Accia M. F.* 58.
*Fabulla*. 58.
*Accius*. 37.
C. *Accius C. F.* 130.
L. *Accius L. F.* 29. 78.
M. *Accius Ti. F.* 30.
T. *Accius*. 131.
*L. F.* 29.
*Achillas*. 5.
*Achilles*. 152.
M'. *Acilius Glabrio*. 32.
*Acte*. 152.
L. *Acutius Artemidori F. Trypho*. 63.
M. *Aebutius*. 45.
*Aelia Filetenis*. 82.
*Treba*... 108.
*Trophime*. 100.
P. *Aelius Di*..... 108.
*Deciminus*. 149.
*Evariſtus*. 82.
*Mucianus*. 60.
*Tertius*. 54.
T. *Aelius Antoninus*. 99.
*Agabrorius Felix*. 83.
*Agathonimus*. 112.
*Agatobulus*. 154.
*Alcibiades*. 72.
P. *Alfius P. F. Cam. Siminianus*. 31.
*Allicilla*. 79.
*Amazonius*. 151.
*Ammia*. 81.
*Amphio*. 63.
*Ampliata*. 67.
*Anchariu Abaſcantus*. 92.
*Antigenis*. 74.
*Antoninus*. 99.
*Aper*. 28. 140.

*Apla-*

Aplaſia. 115.
Apollinaris. 80.
Apollonius. 80.
Aprilis. 86.
Aptus. 47.
Arcanus. 112.
Arennia Prima. 68.
Arennius Caſtor. 68.
M. Ariſtius. 133.
Arria L. F. Plaria Vera Priſcilla. 32.
Arrianus. 33.
L. Arrius P. F. Arrianus. 33.
L. F. .... Sabinus Atilius. 33.
Artemidorus. 63.
Aſper. 149.
Aſtianus. 171.
L. Aſuillius Myrinus. 123.
Atilius. 33.
Atius L. F. Ste. 27.
Attalis. 82.
Attia Priſcilla. 82.
C. Attius. 109.
M. Attius. 109.
Repens. 132.
Auctus. 123.
Audax. 55.
Avedia Marcellina. 56.
Aufidia Tyche. 123.
Aufidius Turbo. 33.
Victorinus. 69.
C. Aufidius C. F. Cam. Verus. 34.
M. Aufidius Fronto. 69.
Augendicus L. F. Sab. Dexter. 83.
Augurina. 70.
Augurinus. 70.
Auguſtalis. 135.
Aurelia C. F. Chabitio. 70.
Januaria. 176.
Aurelius Audax. 55.
Berinus. 161.
Erculius. 158.
Julianus. 56.
Quietus. 55.
C. Aurelius Sp. F. 70.
T. Aurelius Flavianus. 55.
Auriola. 71.
Auxentius. 171.
Ακισιας 168.

B

Q. Baduſius Q. L. Delphicus. 8.
L. Baebius Certus. 60.
Balbina. 28.
Barbilla. 42.
C. Baſſus. 66.
Benedicta. 95.
Berinus. 161.
P. Blerra C. F. 9. 10. 11.
Bonitas. 106.
Brocchus. 156.

C

Cajanus. 179.
Calliopes. 110.
Calliſtus. 93. 103.
Calliſtion. 156.
Calpenus Clemens. 62.
L. Calpenus Dioniſus. 62.
Calpurnia C. F. 65.
P. Calpurnius Brocchus. 156.
Candidia. 151.
Candidiana. 84.
Candidianus. 84.
C. Caninius Rufus. 9. 10. 11.
Capito. 132.
Caſonia. 85.


Caſo-

Caſonius. 85.
Caſſonia Vitalis. 111.
Caſſonius. Vitalis. 111.
Valens. 111.
Caſtor. 68.
C. Catius Calliſtion. 156.
Cecrops. 63.
Ceraſus. 39. 40.
Certus. 60.
Chabitio. 70.
Charito. 116.
Cicatricula. 35.
Cinnamus. 113.
Claudia Lyde. 88.
Quieta. 55.
Claudiana. 83.
Claudii Maximus & Aprilis. 86.
Claudius Mercurius. 82.
Ap. Claudius. 13.
Ti Claudius Aprilis. 86.
Proculus. 87.
Threptus. 88.
Clavennia. 42.
Clemens. 62. 82.
Comicus. 71.
Cornelia. 151.
Acte. 152.
Ησυχια. 153.
Cornelius Agathonimus. 112.
Arcanus. 112.
C. Cornelius C. F. Vo. Taurus. 57.
M. Cornelius Fronto. 69.
P. Cornelius P. F. Sab. Cicatricula. 35.
Creſcens. 112.

D

Decidia Romana. 102.
Decimia Marcella. 94.
Deciminus. 149.
Dejus. 81.
Delphicus. 8.
Demetrius. 117.
Deoptatia. 118.
Dionyſus. 62.
Dexter. 83.
Διοσκορος 163.

E

Egnatius. 36.
Elidia. 122.
Epafrodius. 76.
Epafroditus. 76.
Epathre. 118.
Epitectus. 75.
Epiteuſis. 83.
Erculius. 158.
Eron. 119.
Eros. 119.
Eſquilinus. 136.
Evariſtus. 82.
Euclides. 74.
Eudocia Nice. 171.
Euphemus. 60.
Eutactus. 174.
Eutichus. 3.
Ειρηνη 159.

F

Fabianus. 173.
M. Fabius M. F. 58.
Fabulla. 58.
Fannia L. F. 6.
Fauſtus P. Ser. 7.
Fauſtinianus. 41.
Felicla. 72.
Felix. 83.
Feliciſſima. 96.
Filetenis. 82.
Filumene. 102.


C. Fi-

C. *Firmidius C. F.* 9. 10. 11.
C. *Flaminius.* 12.
*Flavia.* 78.
*Primitiva.* 87.
*Flavianus.* 55.
T. *Flavius Aſper.* 149.
*Flora.* 81.
*Florus.* 81.
*Fronto.* 69.
*Fructus.* 60.
*Fulvia Tryphena.* 80.
Φηλικισσιμος 182.
Φλαβιος 168.

G

P. G*Argilius.* 120.
*Gavellii Juſtus &*
*Augurinus.* 71.
*Gavellius Juſtus.* 71.
*Glabrio.* 32.
C. *Gracchus.* 13.

H

H*Anno.* 17.
*Hermametes.* 134.
*Hilarus.* 74. 136. 175.
*Hiluſa.* 117.
*Hippolitus.* 91.
*Holochryſa.* 126.
*Homerus.* 74.
*Hoſpita.* 142. 143.
Ησιχις 153.

I

J*Anuaria.* 176.
*Januarius.* 61.
*Jovianus.* 180.
M. *Iſſinius M. F.* 123.
*Jucunda.* 72.
*Julia Attalis.* 82.
*Filumene.* 102.
*Juſta.* 89. 99.
Ↄ. *L. Tymaris.* 119.
*Julius Juſtus.* 99.
C. *Julius Euthicus.* 3.
*Priſcianus.* 4. 22.
*Juliana Pia.* 90.
*Julianus.* 56.
*Juſta.* 62. 79. 89. 99.
*Juſtus.* 1. 39. 60. 70. 99.

L

L*Ampadius.* 180.
C. *Lartius.* 45.
L. *Lartius Calpenus Clemẽs.* 62.
*Lartidia Reſtituta.* 75.
T. *Le....* 123.
C. *Lentidius Auguſtalis.* 135.
C. *Lepidus.* 14.
*Liberalis.* 100.
P. *Licinius.* 13.
*Succeſſus.* 71.
*Lide.* 88.
*Lonica.* 81.
*Lucanus.* 61.
*Lucretia Flavia.* 78.
*Lucullus.* 13.
*Lupercianus.* 97.
*Lupercus.* 113.
C. *Luſſanius Meſi.....* 123.
C. *Luxilius C. F. Pompt.*
*Sabinus Egnatius Pro-*
*culus.* 36.

M

M*Acaridis.* 91.
*Magnus.* 40.
T. *Malius Piſtus.* 90.
*Marcella.* 94.
*Marcellina.* 56.
*Marcianus.* 178.



Digitized by Google

Maria Juſta. 79.
C. Marius Pudens. 79.
Cn. Marius Sap...... 123.
T. Marius C. F. Capito. 132.
P. Marcius P. L. Hilarus. 136.
Matho. 139.
Matutinus. 148.
Q. Martius Accius Repens. 37.
Maxima. 65.
Maximilla. 86.
Maximus. 59. 86.
A. Menenius Hippolitus. 91.
Mindia Claudiana. 83.
Epiteuſis. 83.
Mercurius. 82.
Modia Maximilla. 86.
Mucianus. 60.
Muſcinis. 116.
C. Mutrius C. F. Pal. Quintus Severus. 38.
Myrinus. 123.

N

L. NAevius Cinnamus. 113.
M. Naevius Ceraſus. 39. 40.
M. F. Pal. Juſtus. 39.
Veriſſimus. 40.
Magnus. 39. 40.
Naſulejus. 6.
Nepos. 105.
D. Nerſinius D. L Urbanus. 114.
Nices. 72. 171.
Nymphidia Macaridis. 91.
Noeto. 68.

O

OPtatus. 59.
L. Orejus Papias. 155.

P

M. PAccius M. F. Cam. Senecio. 59.
Papias. 155.
Parthenopaus. 94.
Paulinus. 164. 166.
M. Pedanius M. F. 137.
Perſeus. 110.
Petinius Aper. 28.
Petronia Nice. 72.
Petronius. 115.
Antigenis. 74.
L. Petronius Aptus. 47.
Severus. 106.
Philargyrus. 104.
Pietas. 81.
Pillia Allicilla. 79.
Pipuſa. 93.
Piſtus. 90.
P. Piſaurius Col. Lib. Achillas. 5.
Pius. 150.
Plaria. 32.
L. Pla... 123.
Polycarpus. 44.
C. Pompejus Apollinaris. 80.
Apollonius. 80.
Q. Pomponius Verus. 150.
Pontianus. 98.
Prima. 68. 132.
Primaciana. 178.
Primitiva. 77. 87.
Primitivus. 177.
Priſcianus. 4. 22.
Priſcus. 124.
Priſcilla. 32. 82. 166.
Proclus. 87.
Proculus. 36.
Publicia D. L. Muſcinis. 116.
Secunda. 92.
Publicius. 165.

D. *Publicius D. L. Charito*. 116.
*Pudens*. 79.
*Puppius Auctus*. 123.
*Pylades*. 118.
*Pyrrus*. 154.
*Pythagoras*. 74.

Q

*Quieta*. 55.
*Quietus*. 55.
*Quinctillus*. 60.
C. *Quinctius C. L. Demetrius*. 117.
*Quintus*. 38.

R

*Repens*. 37. 132.
*Reſpectus*. 112.
*Reſtituta*. 75.
*Reſtitutus*. 75.
*Romana*. 102. 167.
*Rufus*. 9. 10. 11.
L. *Rutilius Epitectus*. 75.
*Reſtitutus*. 75.

S

D. *Sabinianus*. 89. 105. 156.
*Sabinus*. 33. 36.
Sex. *Salvius Q. F.* 138.
*Satria Pipuſa*. 93.
*Primitiva*. 77.
*Satrius Trophimus*. 103.
Q. *Satrius Calliſtus*. 93. 103.
*Secunda*. 92.
Q. *Sejenus Euphemus*. 60.
*Quinctillus*. 60
*Sempronia Ammia*. 81.
*Flora*. 81.
*Ionica*. 81.
*Pietas*. 81.
C. *Sempronius C. L. Dejus*. 81.
*Florus*. 81.
*Senecio*. 59.
C. *Sentius C. F. Pal. Valerius Fauſtinianus*. 41.
*Sergia T. L Deoptatia*. 118.
Q. *Sergius Q. L. Epathre*. 118.
*Pylades*. 118.
A. *Servilius Epafrodius*. 76.
*Epafroditus*. 76.
*Severa*. 97.
*Severus*. 38. 106.
*Severina*. 54.
M. *Sextius M. F.* 104.
*M. L. Philargirus*. 104.
*M. L. Stabilio*. 104.
L. *Signius Eronis L. Eros*. 119.
*Simnianus*. 31.
M. *Sirpius M. F. Matho*. 139.
C. *Soſſius Lupercus*. 113.
*Soterus*. 179. 180.
*Sozomenus*. 96.
*Stabilio*. 104.
*Succeſſus*. 71. 123.
*Suedia Victorina*. 120.
*Syphax*. 17.

T

*Tadia C. F. Clavennia Barbilla*. 42.
C. *Tadius C. L. Januarius*. 61.
*Lucanus*. 61.
*Tatianus*. 121.
L. *Taruſius Partenopaus*. 95.
*Taurus*. 57.
*Tauriſcus Vitalis*. 94.
*Terentia D. L. Hiluſa*. 117.
M. *Terentius Varro Lucullus*. 13.
*Tertius*. 54.
*Tertullus*. 167. 169.

*Teſia.* 64.

C. *Tettius C. L. Teſia.* 64.

*Tigris.* 140.

*Timaris.* 119.

C. *Titius C. F. Cam. Valentinus.* 43.

*Titius Maximus.* 43.

*Threptus.* 88.

*Trania Prima.* 132.

*Trophime.* 100.

*Trophimus.* 103.

*Tryphena.* 80.

*Tryphon.* 63.

*Turbo.* 33.

*Tyche.* 123.

V

L. V*Afrius Clemens.* 82.

L. *Val....* 123.

*Valens.* 111. 164.

*Valentinus.* 43.

*Valerius.* 41.

C. *Valius Policarpus.* 44.

*Varius.* 128.

M. *Varius Optatus.* 59.

*Varro.* 13. 167.

*Vaſellius Sabinianus.* 89.

T. *Vaternius.* 123.

*Vejania Juſta.* 62.

*Velcia Benedicta.* 94.

P. *Veracius P. F. Cam.* 141.

*Verecundus.* 111.

*Vera.* 32.

*Verus.* 34. 150.

*Veriſſimus.* 1.

*Verſennius.* 7.

*Veſtinus.* 111.

*Vettia T. L. Hoſpita.* 142. 143.

*Severa.* 97.

*Vettius Lupercianus.* 97.

*Veturia Feliciſſima.* 96.

C. *Veturius Sozom.* 96.

*Victorinus.* 69.

*Victorina.* 120. 181.

*Vitalinis.* 160.

*Vitalis* mulier. 111.

*Vitalis* vir. 94. 111.

*Viſidia M. F.* 109.

M. *Viſidius.* 109.

*Viſinia Augurina.* 70.

*Ulpia Candidia.* 161.

*Voconia.* 127.

*Urbanus.* 114.

C. *Urvinius Sabinianus.* 156.


IN-

Digitized by Google

# INDEX RERUM.


L. *ACcius Tragicorum Princeps.* Pag. 91. 168.

T. *Accius Orator Piſaurenſis.* 91.

*quando deceſſerit.* 189.

*Aedilis Curulis Piſauri.* 2.

*Aera Chriſtiana vulgaris quando ſignari capta.* 203.

*Aes collatum.* 105.

*Alimenta etiam habitantibus ſecundum vias ſeparatim aſſignata.* 117.

*Apuleii locus explicatus.* 73.

*Aqua Piſaurum a Q. Fulvio Flacco Cenſore adducta.* 2.

*Archiatri qui fuerint.* 152.

*Ariminum una ex XII. Coloniis ex l. M. Livii Druſi Trib. pl. deductis.* 101.

*Armigeri in militia navali.* 177.

*Aufidia gens Piſaurenſis Romæ clara.* 161.

*Aufidius Victorinus quando Præfectus Urbi fuerit.* 158.

*Aureliani Victoria.* 51.

*BAcchi ſtatua ænea Piſauri reperta.* 5.

*Biga poſita.* 105.

C. *CAlamiſtro.* 194.

*Camilia tribus Piſaurenſium.* 99.

*Caſtrum Ripenſe.* 93.

*Centonarii qui fuerint.* 140.

*Centuriones navalis militiæ.* 175.

*Cereris Templum Piſauri.* 4.

*Chriſtianorum ſimbola.* 201.

*Ciſſii antiqui imago.* 155.

*Claſſes plures in Imperio Romano.* 112.

*Cloaca Piſauri in fluvium circumducta.* 2.

*Cognomina Urbibus ad diſtinctionem impoſita.* 67.

*Cohortis Prætoriæ pars ſtativa Piſauri habuit.* 150.

*Collegia, eorumque inſtitutiones & jura.* 139.

*Collegium Jumentariorũ.* 142.

*Colonia Julia Felix Piſaurum.* 126.

*Colonia in eumdem locum iterum deducta.* 102.

*Conſors Aureliani Hercules.* 15.

M. *Cornelius Fronto Orator quo anno quove Collega Conſulatũ geſſerit.* 157.

*Corollaria.* 195.

*Curatoris Reipublicæ officium.* 17.

*DEcretum Decurionum neceſſario impetrandum pro loco publico.* 2.

*Deorum Auguſtorum Piſauri Templum.* 24.

Dii Auguſti dicti Imperatores defuncti. 20.

Dies judicii. 203.

Dimidium Ↄ nota ſignatum. 181.

Ducenarius; ducenaria procuratio. 17.

EPulum quotannis Piſaurenſibus datum ex teſtamento C. Titii. 136.

Equites ſingulares. 192.

Triplares ſeu Triplicarii. 193.

Equus publicus quid fuerit. 104.

Eraſum nomen Getæ. 35.

Imperatoris in Inſcriptione Abejenæ. 77.

Etruſca Inſcriptio explicata. 60.

FAuſtus prænomen Romanum. 196.

Figulus Sigillator. 197.

Filii naturales qui ſint. 170.

Fontaninus Juſtus de eraſione nominis Getæ notatus. 35.

Forum Piſauri porticibus, taberniſque a Q. Fulvio Flacco Cenſ. clauſum. 3.

Q. Fulvius Flaccus Cenſor multa præclara opera Piſauri facit. 2.

Coloniam Piſaurum deducit. 3.

GEmma potoria. 194.

Genius Coloniæ Piſaurenſis. 9.

Getæ nomen eraſum. 35.

Glabriones Conſules. 106.

Gladiatorium munus quinto quoque anno Piſauri ex teſtamento C. Titii exhibendum. 136.

Gudius notatus. 122.

HAruſpex Fulguriator. 58.

Hoſpita, quid. 144.

I Præpoſitum nominibus a duplice conſonante incipientibus. 199.

Jani tres facti Piſauri a Q. Fulvio Flacco. 3.

Inſcriptiones Piſaurenſes in antiquis mœnibus ut plurimum repertæ. 14.

Jovis Templa Piſauri plura. 2.

Templum Piſauri a Q. Fulvio Flacco exſtructum fuerit. 3.

Italiæ termini. 101.

Juridici Gordiani ævo. 116.

Juridicus Regionis Tranſpadanæ. 115.

Jus commune liberorum quid fuerit. 77.

KAlendarium pecuniæ Valentini. 122.

LEgatum Coloniæ Piſaurenſi a C. Titio relictũ. 136.

Legiones cognomina pro ratione temporis aſſumebant. 115.

Ligorius non ſemper mendax. 1.


Limi-

*Limites Gracchani quid ſint.* 30.
*Linguæ Latinæ mutatio.* 198.
*Literæ Græcæ & Latinæ promiſcue uſurpatæ.* 204.
*Literis Græcis Latinæ Inſcriptiones inſculptæ.* 203. 204.
*Locus in Cœmeterialibus Inſcriptionibus quid.* 202.
*Lucernæ Muſæi Paſſerii.* 168. 196. 198.
*Lucus Sacer Piſaurenſium.* 201.

M *Litera omiſſa.* 16. 200.
*Maceria quid ſit.* 170.
*Magiſtri Vici.* 12. 141. 189.
*Metaurenſis Ager.* 92.
*Metaurenſis Aureliani Victoria.* 52.
*Mœnia Piſauri a Wittige devaſtata a Beliſario reparantur.* 13.
*Monogramma Chriſti.* 202.

O*Fficia Libertorum nondum nota.* 194. 195. 196.
*Ornamenta Decurionatus.* 138.

P*Alatina Tribus Piſaurenſium.* 99.
*Panthera Bacchica Piſauri reperta.* 10.
*Pateræ in ſepulchralibus Inſcriptionibus.* 169.
*Petronii Antigenidis Piſaurenſis carmina.* 165.
*Pertica Piſaurenſis.* 30.
*Piſaurum Colonia deducta.* 3. 28. 100. 126.
*Colonia militaris deducta a L. Sulla.* 127.
*a Julio Cæſare.* 129.
*a M. Antonio.* 131.
*Piſaurum Municipium.* 142.
*numquã hiatu terræ abſorptum.* 134.
*quot milliaribus Roma diſtet.* 53.
*Cæſar capit.* 127.
*Wittiges delet.* 128.
*Beliſarius reparat.* 13. 128.
*Piſaurus fluvius.* 65.
*Piſaurenſes Aureliano ob Metaurenſem Victoriam gratulantur.* 52.
*Catilinæ favent.* 129.
*diverſa tribu cenſentur.* 99.
*quam ob cauſſam.* 104.
*quando jus ſuffragii adepti fuerint.* 103.
*Piſaurenſis Agri ubertas.* 9.
*Piſaurenſes Cryptæ ſacræ.* 201.
*Piſaurenſium Sacer lucus.* 201.
*Pitina duo in Umbria.* 65.
*Pitinum Mergens ubi fuerit.* 66.
*Piſaurenſe ubi fuerit.* 66.
*Plinius emendatus.* 65.
*Plutarchus notatus.* 136.
*Pons Iſauri ſeu Piſauri fluminis.* 27.
*Porta Piſauri Arcus Aureliani creditur.* 14.
*Porticus Piſauri a Magiſtris Vici refectus.* 24.
*Præpoſitus Legionis.* 146.
*Umbriæ Piceni & Apuliæ.* 147.
*Prætor Piſaurenſis.* 108.

Pria-

*Priapi Templum.* 18.
*Presbyter S. Priſcillæ.* 203.
*Prodigia Piſauri obſervata.* 134.

Q. *Litera Etruſci carebant.* 62.
*Quieſco Verbum pluribus modis corruptum.* 198.
*Quinquennalitas Colonica Cenſura.* 68.
*Quinqueremes.* 176.

R *Ationibus Patrimonii officium diverſum a cuſtodia rationum Patrimonii.* 196.
*Reineſius notatus.* 107.
*Reſurrectio clare indicata.* 203.
*Reſpublica Piſaurenſis.* 15.
*Rhetor Piſaurenſis.* 152.

S. *Litera dimidium ſignificat.* 180.
*Scutarii qui.* 204.
*Servi publici a Colonia manumiſſi ab ea nomen accipiebant.* 18.
*Seviri Auguſtales.* 22.
*Collegiorum.* 145. 192.
*Sfortia Conſtantius Piſauri Dominus.* 12.
*Joannes Piſauri Dominus.* 188.
*Sigilla fictilia.* 197.
*Sportularum nomine in largitionibus quid intelligatur.* 124.
*Spurii filii qui dicantur.* 161.
*Stellatina Tribus Cortonenſium.* 57.

T *Emplum Bacchi Piſauri.* 5.
*Cereris.* 4.
*Deorū Auguſtorum.* 24.
*Jovis.* 2.
*Priapi.* 18.
*Termini Coloniæ Piſauren.* 27.
D. *Terentius Piſaurenſium Patronus.* 4.
*natione Piſaurenſis.* 186.
*Theatri Piſaurenſis rudera diruta.* 13.
*Thermarum Piſaurenſium rudera.* 110.
*Triadis Sacroſanctæ hieroglyphicum.* 201.
*Tribuni Militum.* 113.
*Turris Campanaria Cathedralis Eccleſiæ.* 11.

U *Rotunda.* 199.
U. *Via Piſauri ſtrata a Q. Fulvio Flacco.* 2.
*Via Flaminia Itinerarium reſtitutum.* 53.
*Vinum Piſauri plurimum.* 9.
*Urbinum Metaurenſe ubi fuerit.* 95.

*F I N I S.*

Im-

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

Digitized by Google

*Imprimatur*

PHILIPPUS EPISCOPUS PISAURENSIS.

*Imprimatur*

FR. THOMAS CIACCHA VICARIUS S. OFF. PISAURI.

Pre-

Digitized by Google

*Præcipua, quæ Correctoris diligentiam fugerunt, menda ſic emendabis.*

| ERRATA. | | | | CORRIGE. |
|---|---|---|---|---|
| Pag. 2. | lin. 40. | ſinueſſæ | | Sinueſſæ |
| Pag. 6. | lin. 35. | Ptolomæi | | Ptolemæi |
| Pag. 16. | lin. 1. | Silveſtros | | Silveſtris |
| Pag. 25. | lin. 2.4. | MAX. | | MAXS |
| | lin. 11. | tenium | | tenuium |
| | lin. 19. | aliis | | alii |
| Pag. 26. | lin. 7. | ab anno | | anno ab |
| Pag. 27. | lin. 38. | auſam | | anſam |
| Pag. 28. | lin. 30. | C. Lucinio | | P. Licinio |
| Pag. 30. | lin. 37. | divinari | | divinare |
| Pag. 31. | lin. 18. | hiſtoriæ | | nobilitatis |
| Pag. 35. | lin. 2. | KASTORVM | | KASTRORVM |
| Pag. 49. | lin. 12. | ad | | ab |
| Pag. 60. | lin. 39. | L. Appium | | *dele* L. |
| Pag. 78. | lin. 6. | ex | | & |
| Pag. 79. | lin. 5. | rem tetigerunt | | rem acu tetigerunt |
| Pag. 90. | lin. 35. | prænomen | | pronomen |
| Pag. 91. | lin. 12. | prænomen | | pronomen |
| Pag. 98. | lin. 30. | devinxiſſet | | devinxiſſent |
| Pag. 101. | lin. 8. | expugnant | | expungant |
| Pag. 105 | lin. 10. | nomini | | nemini |
| Pag. 193. | lin. 27. | Stevukio | | Stevvekio |

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google